348.413
Ar 33

Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/delaesioneiustit0000guil

BIBL. TH.
P. R.

DE

LAESIONE IUSTITIAE COMMUTATIVAE

IN MISSAE MANUALIS STIPENDIO

ALTERI CELEBRANTI DIMINUTO

RELECTIO THEOLOGICO-SCHOLASTICA

INSTITUTA

a **GUILLELMO ARENDT**

SOCIETATIS IESU SACERDOTE

ALMA COLLEGE
348.913
LIBRARY
A133
Alma, California

PRATI

EX OFFICINA LIBRARIA GIACHETTI, FILII ET SOC.

—

MCMXIV.

22497

OPUSCULI APPROBATIO

IMPRIMI POTEST

Octavius Turchi S. J.
Praepositus Provinciae Romanae

IMPRIMATUR
Fr. Albertus Lepidi Ord. Praed. S. P. A. Magister.

IMPRIMATUR
Franciscus Faberi, Vicariatus Urbis Adsessor.

IMPRIMATUR
Prati, die 24 decembris 1913. Can. Paulus Badiani Vic. Gen.

ERRATA	CORRIGE
Pag. 44, lin. 6 : dir.	div.
Pag. 44, lin. 32 : Affirmant . .	« Affirmant
Pag. 45, lin. 24 : Quaest. 3 (13) .	Quaest. 3 ». (13)

LECTORI BENEVOLO, PACEM

Ne terrearis, quaeso, tanta mole relectionis quae in una sola quaestione versatur. Equidem probe scio hanc ipsam quaestionem a multis Auctoribus, hodie praesertim, paucis lineis, imo duobus verbis expediri; verum etiam scio eam hodie non ab omnibus eadem conclusione et sine ulla haesitatione finiri; scio hodiernum dissensum innovasse antiquum, quantumvis oblivione fere obrutum tranquilla communis sententiae possessione et continuata duorum saeculorum praescriptione. Ut igitur resuscitatae litis causa removeretur tota, necesse fuit non tantum intrinseci quo nituntur dissentientes, argumenti constructionem demoliri, quod satis brevi discussione perfectum est, sed praecipue Veterum auctoritatem speciose appellatam, ostendere per subsequentium aetatum decursum, contraria scholarum consensione usque magis elisam. Porro critica huiusmodi demonstratio nequit duabus paginis constringi, cum viri eruditi hodie fere non fidant allegato Auctorum nomini, nisi textum contextumque oculis propriis undequaque perspexerint.

Neque ego tibi, Lector, videar ausu temerario tantos aggredi viros quanti profecto sunt illi moderni adversae sententiae patroni. Antequam enim praesens opusculum conscribere inciperem, volui praecipuos

interrogare Societatis Iesu Doctores quorum recipitur auctoritas in scholis totius orbis. Qui mihi omnes animum adiecerunt ut longiori disquisitione quaestionem pertractarem. Neque primaevo dissidii auctori, Suarezio illi eximio, quem merito praesumimus aeterna VERITATIS luce potiri, displicere poterit sententiam ab ipso in scholas olim invectam, ad *veritatis* tramitem tandem aliquando reduci. Cuius *veritatis* ut cooperator essem, non vero ut probatus apparerem, iuxta Ioannis et Pauli Ap. monitum (1), nullum studium nullumve laborem nimium esse reputavi.

---

(1) 3. Ioann. 8; 2. Cor. 13, 7.

INDEX ET ORDO RELECTIONIS

Introductio. Causa scribendi. — Subiecti definitio. — Disputationis divisio . . . . . Pag. 1

CAPUT PRIMUM. Praeliminaria . . . . . » 6
§ I. Status controversiae . . . . . » 6
§ II. Removentur praeiudicia. . . . . » 12

CAPUT SECUNDUM. Demonstratio ex rei natura desumpta . » 22
§ I. Praenotanda de natura initi contractus . . . . . » 22
§ II. Fundamentum sententiae affirmativae demonstratur. » 24
§ III. Argumenta adversa dissolvuntur. . . . . » 30
Scholion. De obligatione iustitiae commutativae quae in casu, ex solo Ecclesiae vetito oriretur . . . . . » 38
Lemma. Synthesis argumenti hucusque evoluti . . . . . » 42
Parergon. Quomodo contractus in casu initus, immunis sit a labe simoniae contra ius divinum . . . . . » 44

CAPUT TERTIUM. Vicissitudines quaestionis apud DD., critice exponuntur . . . . . » 63
§ I. Aetas Francisco Suarezio anterior . . . . . » 63
§ II. Suarezii sententia exponitur et discutitur. . . . » 72
§ III. Auctorum Saurezio supparum sententiae explicantur » 78
§ IV. Doctores alii, Suarezio suppares, qui ipsi refragantur. . . . . » 95
§ V. Quaestionis evolutio in altero dimidio saeculi XVII » 110
§ VI. Ulterior quaestionis evolutio in partem affirmativam, usque ad aetatem Alphonsianam . . . . . » 119
§ VII. Quaestionis status ab aetate Alphonsiana usque ad praesentem. . . . . » 127

Epilogus historiae totius controversiae. . . . . » 144
Indes alphabeticus rerum et Auctorum. . . . . » 147

A. M. D. G.

INTRODUCTIO

Causa scribendi. Subiecti definitio. Disputationis divisio.

1. In hodiernis commentariis quae a theologis adhibentur vigenti disciplinae de celebratione Missarum, nondum plene soluta occurrit quaestio profecto gravissima et praxi quotidianae obnoxia, utrum nempe MISSAE MANUALIS STIPENDIUM CONSUETO FORTE PINGUIUS, PRIMO SACERDOTI DONATUM, POSSIT ABSQUE ONERE RESTITUTIONIS ALTERI CELEBRANTI DIMINUI. Operam idcirco reputavi non inutiliter impensam, si ad diligentiorem trutinam revocassem huiusmodi dubium, quo tandem veritas, dissipata tantae incertitudinis caligine, plena sua luce affulgeret. Nolo quidem, quod ab exordio disputationis opportunum est expressissime praemonuisse, ullum nolo anxium efficere, qui praxim suam hucusque conformasset opinioni negativae: probabilitate enim extrinseca haud spernenda destituta ipsa, aetate nostra non fuit. Utrum vero in posterum huiusmodi auctoritatis pondus adhuc valeat eidem suffragari, an potius dicendum sit probata rei veritate elidi, definiendum relinquo doctrinali theologorum iudicio, vel si occurrerit, authenticae S. Sedis sententiae. Privato enim scriptori qualem in praesenti disquisitione me profiteor, non datur ut verbo suo silentium tot et tantis aliis indicat, quorum laus est in consessu Doctorum.

2. Disputationem restringo super *stipendio Missae manualis*, quod nempe fideles cuicumque sacerdoti, praecisione facta a qualitate personali vel a munere aliove speciali titulo,

offerunt *solo intuitu obtinendi applicationem unius Missae sibi exclusive reservatam.* Porro soluta quaestione de Missa proprie manuali, facilis est eam extendere ad Missas quae in recenti Decreto *Ut debita*, S. Congr. Conc., definitae fuerunt habendae *ad instar Manualium,* quippe quae a stipite fundationis cui adhaerebant, avulsae, stipendium saepe habent non quidem a primo donatore constitutum, sed per legitimam auctoritatem reductum vel etiam auctum, ut aliis et alio quam clero ecclesiae ubi fundatae fuerant, possint transmitti applicandae. Quoad Missas fundatione constitutas favore ecclesiae vel beneficii, alia suppetunt principia solvendae quaestionis, cum plerumque non solius celebrationis intuitu, sed alio etiam titulo fuerint pinguiori stipendio adauctae.

Dominicus Palmieri, in Opere morali Ballerinianо, edit. 3, IV, n. 1016, ex collatione variorum decretorum in ea materia, sic definivit Missam manualem: « Ex quibus patet decreta Urbani VIII et Innocentii XII hac in re ad solas Missas, ut dicitur *manuales,* spectare hasque esse, cum quivis titulus in iis deest a celebratione distinctus, cuius intuitu eleemosynae dominium acquiratur: in hoc scilicet sitam esse *manualitalis* rationem, cum unice titulo celebrationis traditur eleemosyna. Cfr. *Acta S. S.* IV, 40 ». Consonant et Card. D'Annibale *Summ.* III, 190, not. 12, 13; et Génicot *Instit.* II, 230, n. VI; et saltem formaliter implicite ipse Noldin, Edit. 6, III, 188, a); Avanzini vero expressissime in *Act. S. S.* IV, pag. 41, n. I.

Hanc definitionem diligentissime notari a Lectore velim, et toto disputationis decursu prae oculis haberi, utpote qua maxime confirmatur usualis interpretatio intentionis auctoris postulatae Missae: definitio enim huiusmodi non a priori, sed a posteriori statuta est, sicuti S. Sedis decreta quorum sensum ipsa refert, praesupposita et perspecta communi fidelium praxi, non vero speculative tantum edi consueverunt. De facto igitur ambigi nequit: fideles nempe Missas manuales communiter non solent ex alio titulo stipe oblata remunerare, quam ex solo exclusivo titulo eius applicationis.

3. Ad avertendam conceptuum confusionem quae causa esse solet unde nonnulli in errata conclusione persistant, iuvat in ipso Relectionis limine **obiectiones** solvere quae mihi a binis censoribus productae sunt de hac Missae manualis definitione: « ipsa, aiunt, non concordat cum notione tradita in Decreto *Ut debita*, quae per oppositionem ad Missam *fundatam* statuitur ».

Respondeo: Ecce Decreti huius verba: « Declarat imprimis S. C. manuales Missas praesenti Decreto intelligi et haberi eas omnes quas fideles, oblata stipe manuali, celebrari postulant, cuilibet vel quomodocumque, sive brevi manu, sive in testamentis, hanc stipem tradant, dummodo perpetuam fundationem non constituant vel talem ac tam diuturnam ut tamquam perpetua haberi debeat ». Heic itaque adiectum *manualis* ab etymologica significatione distrahitur, scilicet quod *manu, brevi manu*, ut dici solet, accipitur, id est, cuius origo absque alia forma iuridica, soli debetur arbitrio atque actuali traditioni et acceptationi duorum; extenditur vero ad significandas omnes Missae obligationes quae *reales non sint* ex *perpetua* earum annexione alicui ecclesiae vel beneficio. Habemus idcirco in his Decreti verbis, non definitionem expressam Missae manualis, sed potius Missarum omnium divisionem adaequatam sub peculiari respectu. Ad summum dici potest traditam fuisse a Congregatione definitionem non *realem* sed nominalem tantum Missae manualis. *Realem* vero eius definitionem a Congregatione hic suppositam, cognoscemus, ex motivo formali propter quod ipsa nomen *manualis* tribuerit omnibus illis Missis quae non fuerint in perpetuum fundatae in ecclesia vel beneficio. Haec autem ratio formalis qualis fuit? Ea profecto propter quam ipsae Missae fundatae in ecclesia et beneficio, quandoque habendae sunt, iuxta alterum eiusdem Decreti statutum, *ad instar manualium*. Atqui haec in eo est quod eae Missae cum non possint amplius celebrari a proprio beneficiario aut in ecclesia propria, tradi debent alteri celebranti cum stipendio respondenti *soli celebrationis titulo*. Ergo ipsa Congregatio ideo in prima illa divisione

omnes Missas non fundatas in perpetuum nomine *manualium* appellavit, quia in ipsis deficit titulus celebrationi extrinsecus propter quem Missae plerumque adnectuntur ecclesiae vel beneficio. Quae est praecise nostra definitio.

Idem confirmatur *ratione decidendi* qua constanter usa est S. Congregatio, cuius legere est luculentissimum exemplum in *Actis S. Sedis*, IV, pag. 40 et fundatur in doctrina S. Alphonsi et communi.

In praesenti itaque disputatione in qua praescinditur a speciali titulo qui Missae accedit ultra celebrationis titulum, ex fundatione in ecclesia vel beneficio, praedicatum *manualitatis* sumitur non contra sensum Decreti *Ut debita*, sed iuxta eius sensum.

4. Legitimitas huius definitionis maxime confirmatur *exceptione*, ut aiunt, quam universalitas definitionis pati potest ex ipsa harum rerum natura: nimirum cum tota intentionis determinatio tandem dependeat ab arbitrio contingenti auctoris oblati stipendii, accidit identidem ut hic praeter Missae applicationem, alium etiam finem intendat stipendii collatione obtinendum, quin tamen obligatio inde cesset appellari *manualis:* at vero tantum abest ut huiusmodi denominatio allatae definitioni contradicat, ut eam potius omnino confirmet: ex illa superadditae intentionis circumstantia fit ut praedicatum *manualis* restringatur ad significatum etymologicum quem superius explicavi, et quoad effectus iuridicos, obligatio ita contracta habeatur ad instar obligationis Missae quae adhaereat beneficio vel ecclesiae: conveniunt enim omnes in praxi utriusque fori, huiusmodi obligationem sinere ut, si Missae onus ab altero suscipiatur, primus acceptans excessum traditi stipendii supra consuetum sibi retineat. Unum tamen omnino exigunt, ut scilicet de ea superaddita intentione expressis verbis vel saltem factis certitudine morali constiterit, sicuti docet S. Alphonsus quem in hac re et S. Congr. sequitur ac probat. Atqui si huiusmodi *exceptio non admittitur nisi de ea constiterit,* profecto supponitur PRAESUMENDUM ESSE IUXTA COMMUNITER

CONTINGENTIA, stipem a fidelibus offerri sine illo personali intuitu sed ex sola applicationis obtinendae causa.

Ergo et communis theologorum sententia et constans Curiae praxis in sua ratione decidendi huiusmodi causas, APERTE SUPPONIT Missam manualem in ordine ad stipendii devolutionem, eam in sensu usuali fidelium proprie esse et retineri quae ab eis postulatur exclusivo unius Missae sibi applicandae intuitu.

Nec refert alteram personalis amicitiae causam vel aliam similem, huic applicationis causae accedere qualicumque ratione vel *principali* vel *secundaria:* dummodo constiterit eam accessisse, exceptio admittetur, semper tamen ut exceptio, quae toties quoties probari, non vero praesumi debet.

Sed haec in praesenti sufficiunt ut obiectis a censoribus difficultatibus remotis, apertam viam libere ingrediamur.

5. Tribus capitibus tota disceptatio aptissime explicatur: Statu enim quaestionis proposito, praeiudicia quae mihi opponi forte possint ne disseram neve si disseruerim audiar, e medio removentur in capite primo; in altero exhibetur thetice atque polemice vindicatur intrinseca rei ratio; tertio tandem historica evolutio quaestionis in scholis a saeculo XVI ad nostram usque aetatem, textibus Auctorum critice discussis et comparatis, in plena luce ostendit argumentum auctoritatis.

CAPUT PRIMUM.

Praeliminaria.

§ 1. — Status controversiae.

6. Dum S. Sedes iam saeculis XVII et XVIII, iteratisque aetate nostra decretis (1) non destitit graviter prohibere

---

(1) Urbanus VIII approbavit Decretum S. Congr. Concilii, Prospero Fagnano munus gerente Secretarii, quo, sub die 21 Iunii 1625, pargr. 5 edicitur: « Similiter omne damnabile lucrum ab Ecclesia removere volens, prohibet sacerdoti, qui Missam suscepit celebrandam cum certa eleemosyna, ne eamdem Missam alteri, parte eiusdem eleemosynae sibi retenta, celebrandam committat ». — Subinde excitatis dubiis de interpretatione Decreti, S. Congr. auctoritate eiusdem Urbani, respondit ad 10um, scilicet, « An sacerdotes, quibus aliquando offertur eleemosyna maior solita pro celebratione Missae, debeant dare eamdem integram eleemosynam iis, quibus Missas celebrandas committunt; an vero satis sit ut dent celebrantibus eleemosynam consuetam? » — « Debere absolute integram eleemosynam tribuere sacerdoti celebranti, nec ullam illius partem sibi retinere posse ».

Decennio transacto, Philibertus Marchini, Barnabita, in suo tractatu *De sacr. Ordinis* et *De sacrificio Missae* quem Lugduni edidit anno 1638 (Hurter, *Nom.* edit. 2, I, 259), dixit tr. 3, p. 2, c. 32, se audivisse in multis Italiae locis et Romae in multis collegiatis decretum quoad hanc partem non servari; ex quo nonnulli inferebant non esse acceptatum, atque adeo non obligare, iuxta communem doctrinam in legibus positivis, quod si non acceptentur non obligent, esto peccaverint qui absque iusta causa illas non acceptaverint. Hoc etiam docuit Acacius De Velasco O. Praed. Episcopus Oriolensis, Casuista, vita functus anno 1665 (Hurter, ibid., II, 297). Cfr. Viva, In prop. IX, Alex. VII, n. II.

Ut igitur huic errori occurreret, Alexander VII, 7 Septembr. 1665 damnavit sequentem propositionem quae in serie est 9a: « Post decretum Urbani potest sacerdos, cui Missae celebrandae traduntur, per alium satisfacere, collato illi minori stipendio, alia parte stipendii sibi retenta ».

Porro Innocentius XII, Constit. edita sub die 23 Novembris 1697, innovavit supra relatum Urbani decretum additis novis praescriptionibus et sanctionibus, quas iterum solemniori forma confirmavit, sequenti decimo Kalendas Ianuarii.

Interim S. Congr. Conc. In Anconit. *Eleemosynae,* 5 Iulii 1664, propositis dubiis, I. An Sacerdos illud (Vetitum parg. 5 Urbani) transgrediens, peccet mortaliter; — II. An muneri suo satisfaciat; — III. An ad restitutionem teneatur; — responderat: Ad I. Peccare mortaliter; — Ad II. Negative, in casu

ne sacerdoti Missam applicanti, stipendium minueretur quod solo applicationis intuitu fuerat collatum : antiquitus tamen,

---

ut ad effectum, de quo agitur, hoc est, non satisfacit muneri suo, quoad distributionem eleemosynae, licet satisfaciat quoad sacrificium Missae ; — Ad III. Affirmative (Giraldi, *Expos. Iur. Pont.* Part. II, Ad Sect. LXVII, nota I).

Porro casus cui alluditur in resp. ad II, erat, uti innuere videtur Pallottini, in *Collect.* XIII, pag. 589, n. 5, quod sacerdos cui Missae celebratio cum minori eleemosyna commissa fuerat, non ignorabat maiorem primo sacerdoti tributam fuisse, et nihilominus ipse contentus fuerat minoris, intelligens nisi hanc accepisset, omni alia iri se privatum.

Quoad I Resp. notari potest Fr. Bordonum e 3° Ord. S. Franc., Parmensem, virum apprime doctum, ut scribit Hurter (Nom. II, 280), anno 1671 defunctum, iam antequam hoc prodiret responsum, docuisse sacerdotem ex vi decreti Urbani peccare quidem sed venialiter tantum neque ad restitutionem teneri (Cf. Viva, l. c. n. IV).

Sequenti saeculo, Ben. XIV, Encyclica *Quanta cura* 30 Iunii 1741, occasione abusus qui invaluerat, ut missae colligerentur sive a sacerdotibus, sive ab aliis atque in alia regione curarentur celebrari, in qua minus reciperetur stipendium, Benedictus XIV, inquam, hunc abusum aestimat « non solum ab avaritiae suspicione et vitio, verum etiam a furti crimine, unde restitutioni subiacet, non immunem » ; declarat quod « exsecrabilem huiusmodi abusum alicubi sensim irrepentem detestantes Romani Pontifices.... de consilio tum Congregationis S. R. E. Card. U. Inquisit. contra haereticam pravitatem, tum Congregationis CC. C. Tr. Interpr. decretum voluerunt, nimirum a quolibet Sacerdote, stipendio seu eleemosyna maioris pretii pro celebratione Missae a quocumque accepta, non posse alteri sacerdoti Missam huiusmodi celebraturo stipendium seu eleemosynam minoris pretii erogari, etsi eidem sacerdoti Missam celebranti et consentienti se maioris pretii stipendium seu eleemosynam accepisse indicasset ». Poenas tandem sancit ipso facto incurrendas et Romano Pontifici reservatas, scilicet excommunicationem contra laicum, suspensionem contra clericum vel sacerdotem « qui eleemosynas seu stipendia maioris pretii pro Missis celebrandis, quemadmodum locorum consuetudines vel synodalia statuta exigunt, colligens Missas, retenta sibi parte earumdem eleemosynarum seu stipendiorum acceptorum, SIVE IBIDEM SIVE ALIBI, ubi pro Missis celebrandis minora stipendia seu eleemosynae tribuuntur, celebrari fecerit ».

Haec a Benedicto lata excommunicatio, innovata fuit a Pio IX, Const. *Apostolicae Sedis* 12 Octobr. 1869, Sect. II, n. XII ; atque a S. Offic. 13 Ianuar. 1892, declaratum fuit excommunicationem incurrere qui in eodem loco ubi eleemosynas collegerunt, pro minori pretio Missas celebrari faciunt, intelligendum esse si ibi minoris non eiusdem pretii, Missarum stipendia esse solent. Insuper delictum hoc capite Piano spectatum, est *lucrosum mercimonium*, non a solis laicis sed etiamsi a solo clerico vel a sacerdote committatur.

Subinde S. Congr. Concilii, tum responsione ad nonnulla dubia, sub die 9 Septembr. 1874, tum Decreto, *Vigilanti* d. 25 Maii 1893 multisque aliis

atque iterum aetate nostra non defuerunt theologi qui facinus huiusmodi arguere non auderent violatae institiae commutativae. Reapse ineunte saeculo XVIII, Dominicus Viva (2), quamvis oppositum ipse propugnaret, antecedentium aliquorum DD. opinionem fassus est « non carere sua probabilitate » ; et viginti duobus abhinc annis, Card. D'Annibale (3) eodem auctoritatis pondere deflexus, in sua Summula huic assensit iudicio.

---

particularibus decisionibus prohibuit turpe quodvis mercimonium in quo Missarum *intentiones*, ut vulgo appellantur stipendia Missarum, adhibentur tamquam pretium mercis emptae. In his iugiter supponitur tamquam fundamentum, supradictus abusus ab Urbano VIII, Innocentio XII et Benedicto XIV reprobatus.

Tandem, Pio X regnante, die 11 Maii 1904 S. C. C. decretum *Ut debita* promulgavit quo tota haec materia de celebratione Missarum ad nonnullas praescriptiones ac prohibitiones reducitur ; quas inter sub n. 9 « decernitur, pro Missis manualibus stipem a fidelibus assignatam, et pro Missis fundatis aut alicui beneficio adnexis (quae ad instar manualium celebrantur) eleemosynam iuxta sequentes articulos propriam, nunquam separari posse a Missae celebratione, neque in alias res commutari aut imminui, sed celebranti ex integro et in specie sua esse tradendam, sublatis declarationibus, indultis, privilegiis, rescriptis sive perpetuis sive ad tempus, ubivis, quovis titulo, forma vel a qualibet auctoritate concessis et huic legi contrariis ». N. 12, « Qui autem statuta in praecedentibus art. 8, 9, 10 et 11, quomodolibet aut quovis praetextu perfringere ausus fuerit, si ex ordine sacerdotali sit, suspensioni a divinis s. Sedi reservatae et ipso facto incurrendae obnoxius erit ; si clericus sacerdotio nondum initiatus, suspensioni a susceptis ordinibus pariter subiacebit, et insuper inhabilis fiet ad superiores ordines assequendos ; si vero laicus, excommunicatione latae sententiae Episcopo reservata obstringetur ». — N. 13, Innovatur Cap. *Colligentes* Const. *Apostolicae Sedis*.

Cf. Commento canonico-morale del Decreto *Ut debita* pel P. G. B. Ferreres S. J. — Versione del Sac. G. Pacati Vicario di S. Lorenzo in Bergamo, 3ª Edit. Roma, Pustet. 1913, pag. 20, 36 et seq.

(2) D. Viva Soc. Iesu, *Damnatarum Thesium Trutina*, Pars Prima; Prop. damnat. ab Alexandro VII, Prop. 9, n. VI.

(3) Card. Iosephi D' Annibale, *Summula Theol. Mor.* Edit. III, vol. III, n. 190, nota 17. Et quidem ita anno 1892, in ea editione quam totam apparaverat Auctor antequem eodem anno moreretur. At vero in editione quarta Commentarii eiusdem eminentissimi viri, in Const. *Apost. Sedis*, quam « ab eodem auctore ultimis studiis notabiliter emendatam et auctam », anno 1894 Can. Fridericus Polidori curavit, docetur absque ulla dubitatione sententia opposita, N. 140, citato in supposita nota 15, Benedicto XIV in Encycl. *Quanta cura :* « Sed et furti tenentur, seu gravis seu levis, pro materiae quantitate ».

7. Ut punctum dissensionis accuratius definiatur in quaestione proposita, sciendum est controversiam non versari circa *obligationem* quam nemo diffitetur generatim sumptam, illis Ecclesiae legibus promulgari; sed circa *motivum formale* quo innixa obligatio speciem accipiat. Plerique enim DD. censuerunt obligationem iustitiae commutativae in casu praedicto oriri ex ipsa *natura* contractus initi inter donantem stipendium et accipientem; ideoque Ecclesiae vetitum accedere tamquam declarationem obligationi iam ex iure naturali certe constitutae, non vero ipsi constituendae ut causam concurrere ordinatione positiva legislatoris humani. — Alii pauciores, quantumvis eximii, inversum autumarunt: scilicet contractus initi naturam *non exigere* ut, si onus Missae praedicto modo primitus acceptum, ab alio sacerdote suscipiatur, donatum etiam stipendium celebranti non minuatur; consequenter *certam* iustitiae commutativae obligationem *vel non urgeri* Ecclesiae vetito, *vel si urgeatur*, ex eo solo positivo atque humano statuto totam oriri. Nam inter modernos huiusce opinionis patronos non desunt quibus obligatio stricta quidem ex initi contractus natura nondum videtur cum plena certitudine demonstrata, etsi tamen concedatur aequitati congruere, saltem ut species turpis lucri arceatur; sin autem naturali, *certe*, aiunt, humano Ecclesiae vetito imposita ipsa est, ex praesumptione non facti sed periculi. Ceteri autem huius partis asseclae plerique videntur ne cogitasse quidem in casu, de obligatione iustitiae commutativae quae ex *solo* Ecclesiae vetito oriretur; unde eo ipso quod nondum demonstratam agnoscunt ex natura initi contractus, obligationem iustitiae commutativae, eam supponunt *non urgeri* Ecclesiae vetito atque hoc vetitum censent alio niti motivo sive iustitiae *legalis* tantum ac obedientiae, sive etiam religionis et aequitatis.

8. Controversiae statu ita descripto, manifestum est cardinem solvendae quaestionis residere in analysi contractus in casu initi inter offerentem stipendium ac primum acceptantem: si enim evidenter demonstrari potuerit naturam huius

pacti omnino exigere ut quicumque impositam Missae applicationem perfecerit, idem ipse totum stipendium primitus oblatum sibi vindicet, eo ipso pars adversa profligatur: antecedenter ad Ecclesiae vetitum subsistit ex lege naturali obligatio iustitiae commutativae contractu inducta, quae proinde ipsum nequit nancisci unicam sui causam efficientem, sed e contra uti causa finalis et obiectum formale eidem necessario praelucet. Ecquis sane mala dicet unquam *quia prohibita,* illa quae prohibentur *quia mala?*

9. Nolo equidem nec possum diffiteri quaestionem in cardine quem nunc dixi, spectatam, primo dimidio saeculi XVII, quando in scholis vulgata est, atque iterum aetate nostra, habitam fuisse a nonnullis uti nondum plene solutam; tanta enim pollebant auctoritate pauci illi Doctores qui sententiae benignioris probabilitatem patrocinati sunt, ut, etiamsi DD. numero plures atque aestimatione fere pares hanc probabilitatem agnoscere detrectarent, quaestio *reapse* accenseretur inter illa problemata quae in publico scholarum usu reputantur ex utraque parte utut inaequaliter, solide satisque probabilia. Imo forte S. Sedes demonstrari posset in praxi aliquas concedendi gratias, tali usam esse probabilitate. Quamquam ut id demonstrari posset, singula rescripta in particularibus casuum adiunctis cautissime essent perpendenda, ne multa condonationum rescripta diverso prorsus titulo concessa, inepte congererentur tamquam illa sola probabilitate innixa. — At vero, etiamsi supponere velimus S. Sedem revera sua praxi benigniori sententiae tum ab initio, tum aetate nostra favorem praestitisse, inde tamen nullatenus praeiudicata causa dici posset. Quod facile demonstratur.

10. Notum sane est vel tironi in schola theologiae moralis et fundamentalis, probabilitatem rei etiam persolidam, donec gravem oppositi formidinem non excusserit, nequaquam esse rei veritatem, sed veritatis apparentiam tantum, cui obiectiva tam falsitas quam veritas occulte subesse potest. Porro cum in practica morum scientia quaestiones huiusmodi probabiles occurrant, dixerim, prope infinitae,

verus huius scientiae progressus in eo praecipue consistit ut, praeter expositionem principiorum usque magis ordinatam, Doctorum ingenia, sub vigili Ecclesiae regimine, aemulo nitantur labore in praemissas dubiorum huiusmodi penitius undequaque scrutandas, quo veritas ipsa in alterutra dubii parte latens, se sua evidentia tandem aliquando prodat. Arduus hic profecto labor ac diuturnus magis quam auri particulas silice cretaque consertas, ex imis terris effodere. Quot enim supersunt quaestiones in campo theologiae moralis a saeculis iacentes insolutae; quot aliae praeteritis aetatibus habitae tamquam probabiles, nova et decisiva ratione detecta, certam tandem in communi scholarum aestimatione consecutae sunt solutionem! Certitudo enim in obscurioribus et magis implexis moralitatis dubiis, plerumque non enascitur ex rei evidentia tota simul e latebris erumpente; sed alio veritatis respectu ab uno doctore enucleato, alioque ab altero, diuturna etiam interposita mora, ex omnibus una simul collectis denique efflorescit. — Dum autem certa latet veritas, obligatione legis moralis eximitur liberum hominis arbitrium nec possessione sua deturbari potest, donec communis scholarum sententia atque usus in censu opinionum probabilium locum retinere permiserit illam quae existentiae legis adversatur. — Contingere igitur facile potest ut etiam per saecula, sententia quaedam tam in scholis quam in praxi confessariorum imo et in usu Tribunalium Curiae ipsiusque S. Pontificis, reputetur solide probabilis et tuta, quae nihilominus, veritate rei tandem aliquando detecta, ab omni probabilitate decidat, et vel communi probatorum DD. sensu, vel authentico magisterio reprobetur (4). Spiritus Sancti assistentia Ecclesiae docenti promissa, nequaquam eo usque se protendit ut Pontifex et cum eo Ecclesia impediatur in materia morum de qua siluerit revelatio positiva, beneficio frui quod libero hominis

(4) V. gr. Card. de Lugo, *de Euchar.* Disp. 21, n. 27, 28, opinionem recenset in hac ipsa materia de Missae applicatione, iuxta quam S. Sedes privilegia indulserat; ea tamen, agnita opinionis falsitate, omnia revocavit.

arbitrio relinquit solida probabilitas non existentiae legis naturalis, ETIAMSI ET DONEC IPSA, SUA SOLA APPARENTIA VERI, FALSITATEM OCCULTET OBIECTIVAM. Huiusmodi sane probabilitatis usus relate ad puram obligationem moralem etiam iustitiae commutativae, nullatenus involvit irreformabile Magisterii supremi iudicium. Haec, iterum dico, nec tirones latent theologiae fundamentalis.

11. Satis mihi est idcirco, in praesenti quaestione, publico Doctorum iudicio subiicere rationes intrinsecas ex natura initi contractus desumptas, ex quibus, uti reor, evidens et certa demonstrari potest obligatio iustitiae commutativae, ut totum stipendium solius Missae applicandae intuitu primitus donatum, in sacerdotem effective celebrantem refundatur. Legenti autem has paginas, manifestum erit me sententiam vel praxim Curiae Romanae, eatenus tantum respexisse in hac mea relectione, quatenus publicis innotuerit documentis: scribo uti doctor omnino privatus, omnium ultimus, a quo licet cuicumque pro lubitu dissentire. Unum ab erudito Lectore efflagito: ut nempe, dum in scribente auctoritatis pondus non quaerit, in scriptis eius obiectivam veritatem, ubi affulserit, admittere non dedignetur.

§ 2. — Removentur praeiudicia.

12. Forte non deerit qui primo aspectu otiosum aestimabit de ea quaestione adhuc disputare: benigna illa opinio, sicut ipse fateor, adhuc *possidet* in scholis catholicis, et possidet inturbata, quantumvis Ecclesia in eamdem praxim, sicut ab initio explicavi, invehere non desinit. Nonne inde concludere licet dubium huiusmodi inter illa esse reponendum, quae in academia agitantur ut speculatione acuantur ingenia tironum, in praxi vero, quieta probabilismi applicatione solvuntur? Videntur sane huic dubio apprime convenire ea Card. Bellarmini verba (5) quae a Benedicto XIV. re-

(5) Haec Card. Bellarmini verba, a Benedicto XVI relata quin indicetur locus unde desumpta fuere, reperiuntur in opusculo cui titulus: *Admonitio*

feruntur in quaestione parum dissimili, de obligatione erogandi in pauperes superfluos beneficii fructus: « Non disputo quaestionem illam an praelati sint vere domini reddituum ecclesiasticorum et an teneantur restituere quae male expenderunt. Parum enim refert utrum praelatus damnetur ad inferos quia peccavit contra iustitiam, an quia peccavit contra caritatem, non bene distribuendo facultates suas ».

13. Verum cuique paulo sedulius perpendenti utramque quaestionem, fit illico manifestum quantum altera cum altera discrepet. « Nullum dubium existere potest, scripsit R.mus P. Wernz (6), quin ex praxi Ecclesiae iam a compluribus saeculis comprobata, reditus beneficiales tum necessarii tum superflui, in dominium *privatum* beneficiatorum *vere* transeant ». Nemo itaque diffitetur amplius beneficiatum *omnes* beneficii fructus facere suos, non quidem sub conditione suspensiva, sed absolute et *sub modo* tantum, ut superfluos impendat in opera pia; disputatur autem ex quali obligatione hoc onus oriatur, utrum ex stricta iustitia, an ex religione, vel ex mera obedientia sive iustitia legali; certumque apud omnes est nullam obligationis speciem ex iure superiori, naturali nempe hypothetico vel divino positivo fuisse determinatam. Inde si obligatio iustitiae commutativae adesset, oriri non potuisset nisi consequenter ad Ecclesiae legem quae eam

---

ad Episcopum Theanensem, nepotem suum; ab initio nonae et ultimae controversiae: *De reditibus ecclesiasticis in quos usus expendi debeant.* Op. Bellarmini, Coloniae, 1619; tom. VII, Supplementum, Col. 1991.

Eadem doctrina divitibus generatim applicata, legitur etiam in Opusculo *De arte bene moriendi*, l. I, C. IX, in fine, ubi evolvitur. Occasione huius doctrinae Vener. Card. Servus Dei, fuerat a Magistro S. P. animadversus, qui approbare eam recusavit; cum tamen theologus quidam eiusdem brevem instituisset apologiam, venia concessa fuit.

Notitiam harum circumstantiarum debeo eruditioni et benevolentiae Xaverii Le Bachelet, consodalis mei et Theologiae Professoris, cuius opera nova et completissima editio opusculorum Card. Bellarmini hucusque ineditorum, feliciter incoepit evulgari. *Auctarium Bellarminianum*, Paris, Beauchesne, 1913. In 4, pag. XXIV-726. Fr. 25.

(6) *Ius Decretal.* III, pag. 199, in edit. 2ª.

induceret (quemadmodum v. gr. consequenter ad legem testatoris, heres, iure romano, tenetur ex iustitia solvere legata ex asse hereditatis quam testamento acceptato fecit suam). Iam vero Ecclesia fecit quidem legem hoc onus inducentem, noluit tamen ulterius definire utrum ex motivo iustitiae commutativae, an alterius virtutis, beneficiatum urgeret sua lege. -— Ex adverso in quaestione nostra, praecise vertitur adhuc utrum qui primus stipendium manuale accepit, ex iustitia contractu inducta teneatur idem stipendium totum ei rependere qui susceperit onus sibi implendum. Dum ergo in illa priori quaestione tamquam certum supponitur beneficiatum fructus omnes prius fecisse suos, idem supponi nequit, sed controvertitur de illo primo stipendium accipiente; atque adeo est in controversia positum ut maior DD. pars idipsum neget, dum pauci alii affirmant. — Ex hoc porro discrimine inter binas quaestiones, alterum sequitur non minoris momenti: nam in prima constat de facto iuridico *absolutae* translationis dominii fructuum in beneficiatum; constat pariter de certa obligatione ab Ecclesia imposita, refundendi superfluos reditus in pauperes; non constat tamen hanc obligationem ab ea urgeri ex iustitia commutativa. In altera vero quaestione constat quidem de facto iuridico *alicuius* contractus inter offerentem stipem et primum acceptantem ideoque de obligatione iustitiae commutativae inde orta, ut onus missae subeatur; disputatur autem de *specie tituli* ex quo resultat haec iustitiae obligatio, utrum hic sit **totus onerosus**, an **potius liberalis**; porro ubi iam constat de onere ex iustitia imposito, non potest praesumi in contractu inito inclusum **etiam** fuisse titulum donationis omnino gratuitum; sed hic ut admitti possit, debet expresse probari: nam liberalitas non praesumitur. — Aliis verbis: constat apud omnes, *etiam ante illas Ecclesiae prohibitiones*, stipem *totam* ei deberi qui missam celebraverit, *nisi probatum fuerit alium subsistere titulum quo pars eius distrahi valeat;* nequaquam inversa ratione dici potest partem stipendii distrahi posse **quousque** *probatum non fuerit ipsum*

totum celebranti deberi. — Ergo dum in prima quaestione, ex facto iuridico primordiali iam constat de pleno fructuum dominio favore beneficiati acquisito, nec ulterius constat de certo iustitiae commutativae onere; in altera, ex facto iuridico primordiali constat de onere imposito sub obligatione iustitiae commutativae, sed probari debet inclusus alter etiam titulus gratuitus. — In prima quaestione agitur de obligatione ex solo positivo et humano Ecclesiae praecepto oriunda; in altera quae nostra est, agitur de obligatione ex iure naturae per contractum oriunda, et *consequenter* de motivo iustitiae commutativae humanae ordinationi Ecclesiae praelucente. — Quae cum ita sint, nemo non videt diversitatem utriusque quaestionis vix sinere ut invicem comparentur.

14. Nihilominus nostra quaestio et ipsa iure meritoque diceretur speculativa atque in praxi otiosa, si, quemadmodum comprobatur in nonnullis magis reconditis iuris naturae congruentiis, fere impossibile videretur rationes eius penitius investigari quam saeculis anteactis fuerint penetratae (7); unde desperandum esset intestinam eius probabilitatem in certitudinem evidentiae unquam fore convertendam. — At vero ut hoc alterum praeiudicium dissipetur, duo advertisse sufficit. PRIMUM est in quaestione nostra non agi de remotiori aliqua iuris naturalis applicatione, sed de perspicua instituenda analysi CAUSAE alicuius contractus, prout et prima iustitiae contractualis principia et consuetus apud homines sensus (8) in ea causa inter-

(7) Cf. sis, exemplum in mea *Analys. Decreti* « Ne temere », pag. 6, nota 5.

(8) Inanis ideirco est **difficultas** quae mihi obiecta fuit : « hanc **causae contractus** notionem (quam inferius evolvam) esse valde subtilem, quae prorsus latet donatores et de qua ne cogitant quidem. Unde concedi possent omnia ita subtiliter disputata, quin adhuc intentum obtineretur » : quia nimirum nihil inde sequeretur de mente a vulgo habita, in stipis oblatione pro Missa. — **Respondeo** sane quod vulgus, etiamsi analysim actuum, iurium et obligationum non soleat instituere more doctorum, clarissime tamen intelligit emptorem v. gr. vel ex toto vel ex parte decipi, si loco panis quem manducandi causa emit, a venditore sibi tradatur lapis (Luc. 11, 11); si in sacco 100 Chgr. frumenti, 30 inveniat chgr. arenae permixta. Aegre fert

pretanda, sponte sua requirunt. Agitur nempe de ordinandis et successive comparandis omnibus illis animadversionibus ac distinctionibus quae plus minusve confusae atque inadaequate propositae occurrunt apud DD. qui problema discusserunt. Unde evidentia veritatis non resultat ex applicatione novi cuiusdam principii iuris, sed uti, superius innui, ex ordinata complexione principiorum antiquorum quae invicem se complent. Id autem si tempore anteacto fieri neglectum est, non video cur inde fiat impossibile hodie compleri. — ALTERUM est sententiam quam in praesenti relectione demonstrabo, non latuisse immobilem atque inertem, ut ita dicam, saeculis anterioribus, sed quamvis lente, vere tamen se evolvisse in generali progressu scientificae explicationis, qui locum habuit sub Ecclesiae regimine in tota theologia morali, a saeculo XVI usque ad aetatem Alphonsianam atque ab hac usque ad hodierna tempora. Cuius progressus occasio sive etiam stimulus exstiterunt successivae prohibitiones sive declarationes Ecclesiae, adeo ut hodie huic quaestioni solvendae vere non desit aliud quam ultima rationis intrinsecae enucleatio, quam Deo favente, conabor exhibere.

15. Ne tamen videar temere asseruisse hunc controversiae progressum sententiae affirmativae favere, auctoritatem appello qua suffulcior in ea propugnanda. **Primo,** quamvis id alios forte effugerit, Benedictus XIV ipse expressis verbis eam affirmare non dubitavit ita ut oppositam merito dici possit *formaliter implicite reprobasse.* Sane triginta tribus annis postquam Dominicus Viva iudicium supra relatum emisit in prima sui operis editione, in encyclica *Quanta cura,* 30 Iunii 1741, flagitium colligendi stipendia missarum in regionibus ubi maiora sunt,

---

paupercula mater familias filiolam sibi tres asses reservasse vânitatis fovendae causa, ex libella quam acceperat a matre ad phaselos emendos pro tota familia cibanda eo die. Cur autem haec, nisi quia isti rudes probe intelligunt intrinsecam contractus causam non posse sine iustitiae laesione, commutari cum alia, vel alia adiecta diminui, nisi alter contrahens consenserit ?

curandique ut, excessu retento, missae celebrentur ubi minora recipiuntur, praedicatur « non solum ab avaritiae suspicione et vitio, verum etiam A FURTI CRIMINE, UNDE RESTITUTIONI SUBIACET, haud immune.... ». — Haec verba per incidens quidem in periodo inseruntur tamquam motivum cur praxis illa fidelibus scandalo sit et causa abstinendi se a novis afferendis eleemosynis; iudicium tamen et persuasionem exprimunt Pontificis quatalis, primo quidem de ipsa specie inhonestatis quae in ea reperitur; — secundo, insuper abusus non solum spectatur in laicis quibus nullus suppetit titulus, ne apparens quidem, sibi praevie acquirendi dominium stipendii quod deinde extraneo celebranti diminutum tradatur; sed expresse increpatur clericorum et *sacerdotum* avaritia; — tertio, imo ut fiat manifestum furti damnari non solum sacerdotes qui tamquam meri intermedii forte colligerent stipendia aliis sacerdotibus primitus *donata*, sed *etiam atque indiscriminatim* hos ultimos: commemoratur anterius decretum quod adversus eosdem ipsos sancitum iam pridem fuerat: « a quolibet sacerdote stipendio seu eleemosyna maioris pretii pro celebratione Missae a quocumque accepta, non posse alteri Missam huiusmodi celebraturo stipendium seu eleemosynam minoris pretii erogari; etsi etc. » (9).

16. At vero si ita se exprimit Pontifex, dicendus est agnovisse laesionem iustitiae commutativae in stipendii diminutione, etiam in casu quo haec diminutio com-

(9) Cfr. citata Constit. Innoc. XII, pro confirmat. Decret. Urbani VIII etc. n. 4, et infra, resp. ad 10. Neque **obiiciatur** notam furti inustam esse a Benedicto **solummodo** relate ad illa stipendia quae collata fuerunt ea voluntate ut Missae celebrarentur in ecclesia donatori propria. Ea enim restrictio non convenit omnibus Missis; insuper plerumque, nisi expresse fuerit requisita, non censetur substantialis. Porro e contra assertio Benedicti quam charactere maiuscolo transcripsi, est **universalis** et afficit omnes Missas quarum diminuatur stipendium. Ne igitur attribuamus inaccuratum dicendi modum tanto Doctori, ad eum trahendum in sensum nostrum. Ipsissimum scilicet flagitium diminutae stipis lucri proprii causa, quod praecipuum est prohibitionis et coercitionis obiectum, ipsissimum declaratur per se constituere etiam furtum.

missa fuerit non a mero intermedio collectore, sed ab illo ipso qui primus sibi donatum stipendium acceperit ideoque adversus ultimum effectivum celebrantem, cui restitutio fieri debet.

Revera Benedictus, sicut antecedentes theologi, apprime noverat discrimen quod intercedit inter sacerdotem qui mere intermedium distributorem agit, et sacerdotem qui primus donatum sibi fuisse stipendium praetendere poterat: hoc discrimen praecise urgebatur a Suarez et aliis paucis eius asseclis quos tam ipse Benedictus quam omnes theologi in ea controversia non potuerant non contulisse. Quo tamen non obstante Benedictus, in praesenti gravissima urgenda sanctione, **omnem praetermittit distinctionem** et sacerdotes quoscumque, eadem ratione ac laicos, non ambigit una eademque furti nota inurere.

Imo, idem Pontifex in § 2, ubi rationem quaerit cur vel sola regionis mutatio reprobetur in qua Missa effective tradatur celebranda, supremam normam pro onere implendo sumit « ab ipsa sive expressa sive tacita, pie offerentium voluntate »; statimque adnectit suprarelatam a me furti commissi declarationem. Qua loquendi ratione satis innuit se intelligere et supponere in Missis mere manualibus totum stipendium celebranti ipsi deberi ex iustitia inducta per ipsam donationis **causam**, a primo oblatore intentam. Secus enim praxis non adeo absolute atque indiscriminatim erat reprobanda, ex iustitiae violatae titulo, cum sacerdos primus stipendii donatarius, quoad stipendii partem quam sibi retinuisset, oblatoris intentionem potius observasset.

Adde quod haec circumstantia mutatae regionis pro Benedicto est prorsus accidentalis et secundaria: in § 5, ubi ad sanciendas poenas, delictum pressius definit cui annectuntur, expressissime dicit: « *sive ibidem* sive alibi.... celebrari fecerit ». Ergo, etiamsi *ibidem*, sacerdos ipse primus donatarius, stipendium alteri diminutum tradiderit, eadem restitutionis obligatione urgendus est iuxta Benedictum, ideoque erga effectivum celebrantem, cum nullus alius existat qui laesus dici possit. Donator enim stipendii dominium iam abdicaverat favore celebrantis.

Quacumque igitur ex parte perpendantur recitata illa Benedicti verba, mentem eiusdem Pontificis pandunt, sententiae faventem a me propugnatae; dum si oppositam inse praetulisset, certo certius ab eisdem sine ulla limitatione proferendis se continuisset. Neque immerito coniectari forte licet prudentissimum hunc Pontificem ideo noluisse magis explicita uti declaratione, ne publicum probrum videretur inferre eximiis illis Doctoribus qui contrariam opinandi rationem invexerant atque in aliis suis doctrinis maxima laude ab ipso, uti compertum omnibus est, cohonestantur.

17. **Secundo**, suffragio Benedicti XIV, alterum accedit mihi aeque favens, scilicet S. Doctoris Alphonsi de Liguori: hic enim, quamvis in ea referenda opinione (L. VI, n. 322), non appellet ad illam Benedicti encyclicam quam paulo antea semel et iterum attulerat, sed statum quaestionis respiciat Dominico Viva anteriorem (10): nihilominus sententiam contrariam absolute asserit *esse tenendam*. Ipse idcirco nequaquam agnovit solidum certumque probabilitatis fundamentum ex parte opposita subsistere. Imo humillimus et moderatissimus vir qui tantum deferre solet auctoritati antiquiorum quos classicos appellat, in hac quaestione, et Suarezii et Castropalai et Bonacinae sensum absque ulla hesitatione deserit. Tandem ipse neutiquam sibi, sed soli Dominico Viva attribuit iudicium quod supra retuli « opinionem illam sua probabilitate non carere » et contrariam probabiliorem esse: atqui haec constituunt evidentissimum signum S. Doctorem aliter quam D. Viva, non tantummodo aliqualem minorem probabilitatem, sed nullam penitus concessisse illi opinioni.

Tertio, tandem S. Doctor testatur etiam sententiam contrariam « post propositionem damnatam (scil. 9^am^ Alexandri VII, anno 1665), *recentiores communiter tenere* ». Nunc quidem non contendo eam opinionem fuisse ab

(10) In opere *Homo Apostol.* Tract. XV, n. 65, Encyclicam Benedict. S. Doctor etiam commemorat.

Alexandro directe reprobatam, qua de re infra; sed factum simpliciter assumo a S. D. cum plena veritate assertum. Atqui aevo post-Alphonsiano, haec unanimitas tantum abest ut diminuta fuerit, ut potius plerosque recentiores sibi accedentes incluserit, sicuti in tertio capite fiet manifestum. Tantis igitur suffultus suffragiis ego iure potior meliori, in ea sententia impugnanda, quam eius patroni in ea resuscitanda.

18. Verum alia etiam ratione praesens quaestio valde practica demonstratur: si nempe modum spectaverimus quo pars adversa utraque suum proponit sensum. Fingamus nimirum sacerdotem qui, tot legibus Ecclesiae posthabitis, pinguiora sibi tradita stipendia retinuerit, Missis per alios pro minori celebratis, fingamus eum resipiscentem ad tribunal poenitentiae se sistere. Plerique confessarii ut minus dediti studio, uno alterove manuali utuntur ad sua solvenda dubia. Leget itaque unus vel in S. Alphonso vel in alio classico Auctore huiusmodi hominem restitutionis obligatione astringendum, nulla ibi facta mentione solidae probabilitatis sententiae oppositae. Leget alter in alio manuali hodie vulgatissimo, oppositam esse adhuc solide probabilem, quippe quam et Titius et Sempronius, nec Caio refragante, qui omnes merito reputantur DD. eximii, et ipsi talem agnoscunt. Nunc autem quaero ego: nonne alterutra ex parte practice erratum est? Vel hinc praedicata incerta obligatione quae in scholis urgenda est tamquam certa; vel illinc iugo absolute imposito quod in scholis haberi possit ut incertum ideoque nullum. Quacumque igitur me verterim, corrigendum aliquid invenio in Auctoribus quorum doctrinae tamquam tutae in praxi, plerique confessarii confidere solent. Porro utra partium sit emendanda, praesenti instituta disputatione conatus sum demonstrare. Nec alterum efficacius privato scriptori suppetit medium huius consequendi finis, quam ut analysis assertae propositionis instituatur evidentissima, cui nemo mente libera, non praebebit assensum. Neque expectanda nobis est in huiusmodi quaestione, expressior S. Sedis definitio: quando

enim Ecclesia videt in suis scholis spontaneum illum progressum ad veritatem agnoscendam, cui paulo superius allusum est, non solet auctoribus catholicis optimae famae, inurere notam, nisi pertinax intercesserit oppositio, sed facile sinit ut opinio eorum per spontaneum illum doctrinae scholasticae progressum, paulatim ut antiquata derelinquatur.

19. Remoto itaque quovis praeiudicio unde status propositae quaestionis potuisset perperam intelligi, liberius accedo ad evolvendam thesim meam, sententiam affirmativam hodie demonstrari ita evidentem certamque ut opinioni oppositae nullum subsistat amplius probabilitatis fundamentum.

CAPUT SECUNDUM.

Demonstratio ex rei natura desumpta.

§ 1. — Praenotanda de natura iniți contractus.

20. Pauca, perspicuitatis gratia, praemittenda sunt, de contractu quo stipendium confertur solo intuitu obtinendi Missae applicationem.

Triplici ratione hic contractus explicari potest: 1) potest esse donatio huiusce stipendii *absolute* facta, *sub modo* ut Missa donanti applicetur. — 2) potest esse donatio stipendii *sub conditione suspensiva* dummodo Missa donanti applicetur. — 3) Potest esse contractus innominatus, *do stipendium sustentationis, ut Missam mihi applices.* — Neque alia ratio suppetit explicandi quomodo obligatio iustitiae (quam hic suppono (1) semper oriri ex hac stipendii collatione) obtinere possit quin simul ipsa Missa vel materialis labor eam *intrinsecus* concomitans, vendi sive pretio temporali aestimari dicatur cum labe simoniae iuris divini.

21. Quae sane labes ut evitetur, necesse est ut titulus iustitiae commutativae non reponatur in aequalitate operis obiective praestiti cum pretio temporali; ad hoc autem arcendum non sufficit stipendium dari ex mero *operantis* fine, intuitu conferendae sustentationis sacerdoti sacrificii ministro, si simul ex fine *operis,* ex indole scilicet obiectiva actus iuridici quo stipendii dominium in sacerdotem transfertur, locum reapse haberet commutatio illa pretii temporalis vel cum ipso spirituali sacrificio, vel cum obiectivo labore celebrationem huius intrinsecus atque inseparabiliter concomitante: esset enim haec simonia palliata (2). —

---

(1) Cf. sis, Suarez in Q. 83, a. 6, 3, p. S. Thom. Disp. 86, sect. 1, n. 5, ubi unanimis haec omnium doctrina refertur.

(2) Qua de re, cf. Parergon ad calcem huius capitis.

Iamvero exclusa ea *onerosa commutatione*, stipendium sacerdoti acquiri nequit aliter quam *gratuito* donationis contractu: divisio quippe contractus in gratuitum et onerosum, est adaequata neque in iuridica translatione dominii ab uno in alterum privata voluntate, medium datur inter translationem onerosam in genere *commutationum*, ac gratuitam in genere *donationis*. — At, dum per solam stipendii donationem sustentando sacerdoti collatam, plene explicatur translatio dominii huiusce stipendii, explicanda superest obligatio iustitiae stipendiato sacerdoti incumbens, ut Missam donanti applicet. Ea porro iustitiae obligatio, cum ex hypothesi donationem consequatur, eidem aliquatenus annexa sit oportet: ideo vel ipsi donationi *intrinsecus* accedit, vel *extrinsecus*, tamquam alter correlativus contractus: si intrinsecus, vel est *modus*, vel *conditio;* si extrinsecus, erit obligatio applicandae Missae, in quam uterque convenit, donans quidem imponendam, donatarius vero exequendam; unde complexus utriusque initi contractus constituet contractum innominatum *do ut facias*. — Manifestum igitur fit ea instituta analysi, et translationem dominii in stipendium, et vicissim obligationem iustitiae ad Missam applicandam, non posse aliter explicari quam una aliave ex tribus recensitis rationibus.

22. Qualiscumque praeferatur explicatio, integra subsistit quaestio quam assumpsi resolvendam: utrum scilicet traditum stipendium sit ex iustitia soli Missam celebranti *totum* rependendum. Etsi enim in unoquoque ex illis tribus modis adaequate explicetur qua ratione stipendii dominium ex iustitia transferatur in eum qui onus adimpleverit; inde tamen nondum explicatum est quomodo pars stipendii iuste posset ab eodem distrahi. Ergo qualiscumque explicatio e tribus allatis, praeferatur, solutio propositae quaestionis totaliter remanet aliunde requirenda. — Hisce animadversis, primo quidem demonstrabo ex ipsa rei natura, iniustitiam huius distractionis; deinde vero inanes ostendam singulas rationes quae excogitatae fuere ut ipsa probaretur non iniusta.

§ 2. — Fundamentum sententiae affirmativae demonstratur.

23. Quandoquidem in praesenti dominium stipendii sive partis eius, a donante transferri in alterum non possit nisi in virtute alicuius contractus, tota quaestio in eo est ut demonstretur CAUSAM (3) contractus initi per oblationem

---

(3) Causa relate ad contractum, duplex spectari potest: altera intrinseca, altera extrinseca. Haec supponit actum suis essentialibus elementis constitutum, ipsique accedit, tamquam finis extrinsecus, ab operante sive principaliter sive secundario intentus: motivum nempe est propter quod contractus ab eo initur. Qua de causa et fine operantis, agit Lessius *De iustit.* L. 2, Cap. 18, n. 124 et sq. ac duo docet: « Primo quando aliquis donat ob certum finem, SI NON INTENDAT ILLUM FINEM OBLIGARE, sed solum allicere animum, vel praebere media ad illum consequendum si placuerit, non est irrita donatio, etiamsi finis non sequatur...; quia non est donatio conditionata sed absoluta, facta non animo obligandi sed tantum alliciendi ad liberum consensum. — Secundo si intendat (donans) donatarium ad illum finem vel usum OBLIGARE, donatio erit irrita, fine non praestito, SI ILLE SIT PRINCIPALIS FINIS donationis; si vero sit SECUNDARIUS non erit irrita, poterit tamen in irritum revocari, si donatarius nolit praestare. Ita docet Medina C. de rest. Q. 24. Prima pars patet ex multis textibus ff. de conditione causa data non secuta; et Cod. de condictione ob causam quibus conceditur repetitio causa non secuta etc. ».

Verum heic non loquor de hac *extrinseca* contractus causa, sed de *intrinseca,* quae essentialem ingreditur contractus constitutionem: quo sensu scripsit Card. D'Annibale, II, 300: « Actuum substantialia sunt: *res, causa, voluntas* ». Et Vermeersch, *De iustit. n. 287*: « *Tribus constat omnis contractus essentia: re... consensu... causa* etc. » Consonant moderni Codices, Gallicus, art. 1108, Italicus art. 1104. Quocirca Palmieri forte minus scite voluit adhaerere Georgio Giorgi qui in *Teoria delle obbligazioni,* Vol. 3. § 445 sq. monet, hoc tertium elementum esse prorsus superfluum nec tamquam speciale elementum spectari posse quippe quod continetur in consensu et obiecto, eorumque necessariis conditionibus. Minus scite, inquam, haec animadvertuntur, cum *res* seu causa *materialis* nequaquam confundi possit cum causa *finali,* etiamsi voluntas contrahentis ipsum *rei* contractae effectum tamquam finem intendat.

Id porro idem agnovisse dicendus est egregius Ballerinii annotator dum eodem loco (*Op. mor.* III, n. 559) subdit: « Quod spectat ad quartum, ut de ea aliquid dicamus, CAUSA quae requiritur, est ea quae intrinseca est contractui: ita in emptione causa emptori se obligandi est assecutio mercis. Generatim in contractu oneroso est utilitas QUAM IPSE ACTUS NATURA SUA PARIT; in contractu gratuito est LIBERALIS VOLUNTAS DANTIS VEL GRATITUDO. Si in oneroso desit utilitas nihil fit: quia abest finis intentus ideo-

stipendii pro Missa, non pati distractionem partis eius in eum qui Missam non applicat: ideoque iustitiam eadem distractione laedi, nisi alius accesserit contractus quo dominium illius partis concedatur.

---

que et verus consensus. Sic si transactio fiat super negotio nulli prorsus controversiae obnoxio. Si autem desit tantum utilitas quaedam *extrinseca*, quam contrahens per contractum intendebat, id non vitiat contractum: essentia enim rei manet... In gratuito liberalitas promittentis vel gratus animus est ratio promissionis vel praestationis. Manifestum est autem liberalitatem deesse, si cogatur quis dare etc. ». Cf. et Pothier, *Delle obbligazioni*, Parte 1, Cap, 1, Sez. 1, n. 42 ; Zachariae, *Le Code civil français (edit. Massé et Vergé*, Paris, 1857) Tom. III, § 615 ; atque in edit. originali, § 344.

Hisce itaque insistendo vestigiis, CAUSAM contractus definire possum *effectum e conventione resultantem, in quantum ipse tamquam finis* OPERIS *ab utroque contrahente intenditur :* v. gr. in emptione venditione, rei acquisitio determinato pretio ; in donatione omnino liberali, translatio dominii rei donatae, absque ulla compensatione ; in contractu innominato *do ut facias*, translatio dominii rei, secum ferens in alterum iustitiae obligationem ut operam praestet. — Porro manifestum est CAUSAM ita definitam elementum essentiale constituere cuiuscumque *actus* sive ultimae voluntatis, sive inter vivos, adeo ut eius mutatio substantialis speciem actus diversificet : ubi causa actus fuerit sola liberalitas, actus constituitur in specie *gratuitorum ;* ubi vero utilitas suapte natura ex actu resultans, causa eius exstiterit, ipse constituitur in specie *onerosorum.* — Contractus autem collati stipendii pro Missa manuali, cum iuxta sensum communem fidelium atque unanimem theologorum, mutuam inducat obligationem iustitiae atque onus in utrumque contrahentem, non est gratuitis accensendus, sed onerosis ; ideo quippe solum vocatur *donatio* ut significetur non esse reducendus ad strictam commutationem qua res sive opera supernaturalis aequipararetur pretio temporali cum reatu simoniae iuris divini, sed ad contractum innominatum *do ut facias* quo non reponitur aequalitas iustitia commutativa requisita, in comparatione rei vel operae supernaturalis cum pretio temporali, sed in comparatione stipendii sustentationis cum ligamine *subiectivo* quod alter contrahens sibi assumit relate ad rem vel operam arbitrio ipsius omnino relictam. Id porro fusius explicatur in parergo ad calcem huius capitis annexo. — Inde utrinque subsistit suscepti oneris obligatio ex stricta iustitia ; et contractus, quamvis includat stipendium pro sustentatione collatum, neutiquam vero solutionem pretii pro opera vel opere, haberi vere debet tamquam *onerosus*, non vero *gratuitus*. Hic contractus *do ut facias*, uti scripsit Ludov. Molina, *de contract.* Disp. 253, n. 7, « regulandus est iuxta conductionem, qua res quae est pretium, datur pro usu aut opera locabili ». De contractu igitur stipendii manualis pro Missa collati, quemadmodum de omnibus aliis onerosis, dicendum est cum Card. D'Annibale, *Summ.* II, n. 301, « *Causa*, utilitas (scilicet) quae consistit ex actu ipso natura sua, si desit, nihil agitur ». Iure meritoque ego in textu concludam : causa initi contractus invalide mutatur ab altero contrahente, absque alterius consensu.

Porro CAUSA contractus in casu Missae manualis, sicuti dictum est in ipso relectionis limine et praesupponitur ab omnibus contendentibus in praesenti, est adiutorium sustentationis SOLO MISSAE APPLICANDAE INTUITU COLLATUM: scilicet spectata non est ab offerente stipem, qualitas characteris sacerdotalis quatenus primus acceptans per ipsam HABITUALITER deputatur ad supernaturalia bona ministranda: sub hoc enim habituali respectu, sacerdos ex iustitia *distributiva* atque ex quasi-contractu cum suo Ordinario, ius habet ut sive ex beneficio sive ex officio cum congrua mercede sustentetur, quin particularibus fidelibus ulla incumbat *obligatio* eidem sustentationi immediate contribuendi. Praesupposito itaque huiusmodi sacerdotis *statu,* ab offerente stipem manualem spectatum est tantummodo ACTUALE qualitatis sacerdotalis exercitium, nempe sacrificium altaris semel pro offerente stipem celebrandum, idque praecise quia sacerdos ex habituali suo officio et ministerio non tenebatur hoc individuum sacrificium illi determinatae personae exclusive applicare. — Ideo *tota* initi contractus *causa* nequaquam includit LIBERALEM sustentando sacerdoti contributionem, sed ONEROSAM tantummodo huius STIPENDII collationem: tota pecuniae collatae summa ideo est STIPENDIUM eo quod *tota* confertur exclusivo intuitu illius operae praestandae; et quamvis vocetur donatio, id nequaquam fit ad excludendum *omne* iustitiae onus ex parte donatarii erga donantem, sed unice ut exclusa significetur simoniaca comparatio pretii temporalis cum opera vel opere supernaturali. Totum ergo stipendium manualiter collatum, totum ex iustitia commutativa debetur; atque ea sola conditione debetur ut postulata Missa offerenti applicetur. Uno verbo igitur: *causa* contractus est in sensu composito atque inseparabili, stipendium sustentationis *pro Missa eaque sola.*

Atqui contractus non perficitur nisi donans et acceptans in idem placitum, id est *in eamdem mutuae conventionis causam* consentiant; nec alter potest pro lubitu hanc *causam adeo substantialiter mutare ut* ex *onerosa* fiat vel tota vel pro

parte *gratuita vel liberalis*. — Atqui iterum, primus acceptans stipendium manuale, si tertio transferat diminutum cum Missae onere, supponit causam primae donationis fuisse **pro parte sibi retenta** *totaliter liberalem*, non vero onerosam.

Ergo excessum contra iustitiam initi contractus detrahere dicendus est.

Equidem ex hypothesi habemus nullam occurrere rationem personalem propter quam benefactor specialiter voluerit Missam a primo acceptante solo applicari; sed supponimus electionem celebrantis eius arbitrio fuisse relictam. Si ergo Missam alteri transmiserit, mandatarium aget primi offerentis, cui nullo titulo competit dominium ne partis quidem creditae pecuniae.

Aliis verbis, *causa* huiusce contractus non est stipendium sustentationis primo acceptanti ABSOLUTE concessum sub obligatione celebrandi pro offerente, per se vel per alium, uti scripsit Castropalaus (infra citatus, cap. III), sed est stipendium sustentationis CELEBRANTI concessum, sive hic fuerit primus acceptans sive alius. Et ratio est quia omnes conveniunt stipendium dari a fidelibus solo et exclusivo intuitu sibi obtinendi illam unam particularem Missae applicationem: non applicanti igitur fidelis nihil intendit donare, etiamsi ille curaverit onus Missae ab alio adimpleri. Nimirum benefactor in tantum DONAVIT stipem primo acceptanti, in quantum nec plus nec minus non EMIT Missam sive Missae celebrationem; nequaquam vero in quantum voluerit facere conventionem partim onerosam scilicet stipendii rigorose iusti pro Missa, partim non onerosam sed gratuitam pro excessu traditae pecuniae, in beneficium primi acceptantis. Hanc puri beneficii *causam* praesumere non possumus sed toties quoties probare oportet; secus primus acceptans arbitrio suo mutat *causam intrinsecam* initi contractus (4).

---

(4) Scilicet mutua utilitas in quam ambo contrahentes conveniunt obtinendam, est ex parte offerentis, assecutio fructus Missae, ex parte vero ac-

24. Porro **nemo dixerit** mandatum de quo paulo ante loquebar, suapte natura remuneratorium esse potius quam gratuitum : per accidens enim tantum contingit ut inquisitio alterius celebrantis tantum secum ferat incommodum quantum possit mereri mercedem. Adiaphorum igitur est in praesenti quaestione, hac tangente via effugium reposcere a

---

ceptantis, dominium collati stipendii : idcirco uterque intendit tamquam contractus *causam*, non seorsum ille assecutionem illam, hic dominium istud ; sed uterque utramque et sibi et alteri. Conventio *do ut facias* non est duplex contractus alter ab altero seiunctus, sed unus contractus, una conventio qua ambo contrahentes in unum placitum consentiunt, in unam nempe *causam* actus intrinsecam, quae quidem ipsa obiective resultat utrique utilis alteri per rem ab altero datam, alteri per operam ab altero praestitam.

Hoc itaque praesupposito, non invenitur in huiusmodi conventione titulus sive causa cui nitatur primus stipem acceptans ad partem eius retinendam, si alteri onus transtulerit Missae applicandae, quandoquidem utilitas mutuo volita ab utroque, scindi nequit, Missa a tota stipe *pro ea* collata nequit sine contractus laesione ab ea seiungi, sique pars stipis distrahatur id nequit fieri nisi ex alio titulo, ex alia causa, ideoque ex alio contractu qui nullatenus includitur in illa stipis *donatione* **solummodo** *ut* Missa obtineretur.

Iam vero Castropalaus quando dicit factum collati stipendii manualis pro Missa, explicari posse per ABSOLUTAM stipendii donationem cum solo onere Missae ab acceptante vel ab alio applicatae, aequivalenter asserit vel illum alterum liberalis donationis contractum simul fuisse initum cum primo oneroso, vel notionem pervertit huiusce onerosi contractus. Iamvero primum assumi nequit sed probari debet in singulis casibus, quia donatio non praesumitur. Ergo Castropalaus vel gratuito nititur assumpto, vel fateri debet iniustitiam illius detractionis.

Nec iuvat **obiicere** collationem stipis pro Missa posse etiam explicari per donationem sub modo vel sub conditione, uti supra declaratum est : — **Respondeo** id quidem verum esse, sed cum tota quaestio sit *de connexione* collationis stipis cum onere Missae, atque tam in contractu donationis sub modo vel sub conditione, quam in illo alio innominato, *causa actus* sit illa una eademque inseparabilis, mutuae supradictae utilitatis : ideo hoc effugium frustra requiritur. Conferatur Lessii doctrina relata in nota praecedente, qua demonstratur invalida donatio sub modo vel sub conditione principaliter intenta, si modus vel conditio non observatur. Iamvero in casu, modus sive conditio non est tantum Missae applicatio **in utilitatem unius,** sed coniunctim Missae applicatio et stipendii collatio in **mutuam utriusque utilitatem.** Si autem pars stipendii distrahatur in favorem non applicantis Missam, novus necessario introducitur contractus **non onerosus,** sed liberalis donationis, vel mandati remuneratorii.

Haec quae ulterius evolvere inductus sum obiectionibus mihi ab egregio quodam Revisore propositis, iuvabunt ad arcendam conceptuum et rerum confusionem.

praemissa argumentatione; imo etiamsi reperiri non posset alter celebrans absque gravi dispendio, nequaquam inde argumentatio evitaretur, cum pars stipendii retineri non posset titulo compensationis, *sine alio* inito contractu cuius *causa* esset prorsus diversa a *causa* contractus collati stipendii pro Missa.

Nec iuvat dicere primum illum sacerdotem acceptam pecuniam, utpote primo usu consumptibilem, *fecisse suam* per eius commixtionem cum propriis nummis in maiori quantitate possessis. — Esto: verum tota quaestio redit de obligatione non quidem *reali* sed *personali* quam contraxit acceptans pecunias cum mandato, de obligatione, inquam, personali tradendi celebranti stipendium accepto aequivalens, nomine donantis.

Neque urgeatur eumdem sibi ab initio forte suscepisse Missae applicandae onus, *quod subinde, mutata voluntate, praetulit in alium transferre:* ita nimirum dominium totius stipendii (vel saltem ius *ad* ipsum postquam celebraverit Missam) legitime acquisivit prima acceptatione; mutato postea proposito, satis erit ut obligationem *personalem* a se susceptam applicandi Missam iuxta dantis intentionem, per alterum adimpleat cui consuetum in eo loco stipendium tradat, excessu retento. — Sed quaeso, quo iure pecuniam quam primitus fecerat suam non ex simplici sustentationis *causa* in acceptata donatione, sed ex *causa* sustentationis *sub modo* ut stipendium in *actualiter celebrantis* utilitatem vergeret, quo iure, inquam, nunc hanc primae donationis *causam* transformat in absolutam *absque modo* a donante praedefinito? Nonne aequivalenter sibi usurpat retentum stipendii excessum perinde ac si hic fuisset ipsi traditus et donatus simpliciter et solo sustentationis titulo? Discedit idcirco ipse a primi donantis voluntate quae modum et conditionem primae donationis sola valuit determinare; et sine legitimo titulo discedit, cum donatio penitus liberalis praesumi nequeat sed debeat probari; unde iustitiam commutativam laedit primo inductam contractu, adversus donatorem, adversusque ipsum solum si hic, usurpatione

cognita, voluerit sibi repetere distractum excessum; secus adversus illum tertium celebrantem, quippe qui primus contractum donationis primaevae, sua acceptatione complevit; intermediarius enim, mutando uti suppositum est, suam primam intentionem Missam *per seipsum* applicandi, ipso facto restituebat rem in statum primaevum, ideoque *personaliter tenebatur* stipendium totum quantum acceperat, ut mandatarius, nomine mandantis non vero proprio, celebranti rependere.

§ 3. — **Argumenta adversa dissolvuntur.**

25. Instituta itaque analysi ipsius contractus quem *causa* a postulante Missam manualem intenta, ostendit esse reapse initum, discussum est totum fundamentum adversae ratiocinationi gratuito suppositum: primum scilicet acceptantem, stipendium fecisse *suum ex causa* LIBERALI, cui accesserit onus tantummodo personale, *nullatenus connexum excessui* collati stipendii supra taxam consuetam. Restat ut respondeam iis quae in subsidium antiquiorum, a recentioribus collata fuerunt.

En quomodo in Opere morali **Balleriniano** (5), primum, aetate nostra, tamquam probabilitate non destituta exhibita est illa sententia. « Re per se perspecta, non videtur deesse probabilitas sententiae neganti hanc (iustitiae commutativae) obligationem ». — Et prolatis ex S. Alphonso antiquioribus (de quibus ego infra), horum assertio ex eodem S. Doctore transcribitur: « Ratio, quia accipiens stipendium iam acquirit illius dominium et licet acquirat cum onere dicendi Missam, huic tamen bene per alium satisfacit ».

Respondeo ad singulas propositiones: « Accipiens stipendium iam acquirit eius dominium » — *distinguo assertum:* acquirit per contractum donationis cuius *tota causa*

(5) Edit. 3, IV, 1017.

sit simpliciter adiutorium *habituali* sacrorum ministro praestandum, *nego suppositum* in nostra thesi et hypothesi; — acquirit per contractum donationis cuius *causa* est hoc adiutorium *sub modo* vel *sub conditione* vel cum annexo *pacto* ut Missa sibi applicetur, *actuali* ministerii sacri exercitio: *subdistinguo assertum:* si onus celebrandi *sibi* etiam implendum accipiat, *concedo assertum;* — secus, *nego assertum.* — Ratio distinctionum patet ex argumento in § praecedente praemisso.

26. Altera propositio: « Et licet acquirat cum onere dicendi Missam, huic tamen bene per alium satisfacit »: — *distinguo assertum:* si onus dicendi Missam non ingrederetur *ipsam causam* donationis stipendii; *transeat assertum*, quia hoc est omnino extra hypothesim de qua loquimur, quod scilicet donatio fuerit omnino liberalis atque absolute facta, alterumque intervenerit pactum prorsus ab ea independens de Missa applicanda eidem personae quae eleemosynam contulerat: sane nulla in ea hypothesi oriretur obligatio iustitiae ad Missam applicandam *ex facto datae eleemosynae quae neutiquam stipendium ullatenus appellari posset*, sed ex sola *causa* istius alterius gratuitae et liberalis donationis Missae: de hac hypothesi igitur nemo disputat in praesenti. — Si onus dicendi Missam ingreditur ipsam *causam* donationis stipendii fundando obligationem iustitiae ad onus quomodocumque subeundum, quae est hypothesis in quam omnes conveniunt: *subdistinguo assertum:* tunc primus acceptans stipendium bene per alium satisfacit, quoad fructum Missae, applicandum, *concedo assertum;* — quoad stipendium cuius partem sibi retinet: *iterum subdistinguo:* si stipendium datum reapse fuit ex *causa* adiutorii *habituali sacrorum ministro* tribuendi, *concedo assertum*, — si stipendium datum fuit *exclusive ex causa* obtinendi *actuale* tantum sacri ministerii exercitium, *nego assertum.* — Iterum, explicatio distinctionum ex praemissis in § antecedentibus desumatur.

27. Uti consideranti patet, istae duae propositiones a S. Alphonso ex antiquioribus desumptae, gratuito asserunt

quod esset demonstrandum; idque haud effugerat Ballerinium sive forte probabilius **operis Balleriniani editorem**, qui statim subiunxit sequentia, in probationis adminiculum: « Et reapse in ceteris omnibus negotiis haec regula valet, sc. non imponi onus personale ita ut si aeque bene per alium quis suas partes impleat, alter inquirere debeat, num minori pretio per alium satisfaciat. Quid si quis gratis se offerat ad onus implendum? » (6) — Heic spectata nota generica pacti obligationem iustitiae *qualicumque contractus specie* inducentis, praesens stipendii pro Missa collatio comparatur cum commissione cuiuscumque alterius negotii, *quae annexa sit causae* contractus donatae pecuniae. In eiusmodi mandatis *plerumque praesumi solet* ex adiunctis tam rerum quam personarum, illum qui mandatario tradidit summam pecuniae *pretio rei emendae vel negotii expensis superiorem*, voluisse stimulare eius industriam ut rem optatam perfectius consequeretur. Ideo *nisi contraria mandantis intentio expressis sive verbis sive factis innotuerit*, mandatarius poterit *iuxta communiter contingentia*, censere sibi donatam, illam pecuniae partem cui parcere valuerit absque detrimento mercis a mandante requisitae. — At vero omnino inversum comprobatur in collatione stipendii pro Missa (7): ex iis enim *quae communiter contingere solent*, fideles stipendium manuale conferunt in celebrantis sustentationem, *solo et exclusivo Missae actualiter applicandae intuitu*, uti superius explicatum est in ipsa Missae manualis definitione quae non a priori sed a posteriori statuta est, ex perspecta fidelium praxi; ad summum indifferentes sunt relate ad personam celebrantis (QUAE INDIFFERENTIA ET IPSA INDICIUM EVIDENS EST EOS EXCLUSIVE INTENDERE MISSAE CELEBRATIONEM SOLOQUE EIUS INTUITU STIPEM MINISTRO CONFERRE VELLE). — Ergo *nisi expressis* sive verbis sive factis constiterit de contraria

(6) Haec Editor operis Balleriniani mutuatus esse videtur a Ferdinando Castropalao, cuius verba inferius referuntur cap. III.

(7) Cf. Schmalzgr. idem dicentem, infra cap. III.

dantis intentione, *praesumi nequaquam poterit* donantem consensurum ut pars stipendii servaretur a non celebrante titulo donationis mere liberalis. Dico titulo donationis mere liberalis, ad significandam eam quae fit simpliciter in adiutorium ministri altaris *quin ullum onus speciale ex iustitia imponere intendat.* Donatio enim liberalis uti iam monui, probari debet, non vero praesumi potest. Porro nemo diffiteri potest hanc esse interpretationem *usualem* quam ipsi fideles huic suae praxi postulandi Missas manuales, communiter adhibent, uti patebit multos interroganti. Imo, uti paulo ante dixi, ex hac fidelium praxi eo sensu intellecta, ideoque a posteriori nequaquam vero a priori, constituta fuit definitio Missae **manualis**, ab omnibus recepta atque a decretis Apostolicae Sedis iugiter praesupposita. — Aliud deinde est quod omni aevo, sacerdotes occurrerint quibus *interpretatio inversa* magis arriserit, quemadmodum et Urbanus VIII, et Alexander VII, et Innocentius XII, et Benedictus XIV, atque diebus nostris, iteratis suis decretis S. Congregatio Concilii, eosdem redarguendo testantur. — Huius autem usualis interpretationis *iuridica et theologica* explicatio praecise est analysis superius instituta, *causae* contractus quem de facto constat iniri ea stipendii manualis donatione pro Missa. Unde legitime conclusum est causam illam nequaquam sufficere ad subtractionem partis stipendii fundandam.

28. **Respondeo** itaque in forma obiectis verbis: *distinguo negotia illa:* scilicet in mandatis quibus datur pecunia non solo intuitu rei emendae *nomine mandantis,* sed simul etiam intuitu beneficandi mandatarium, sive mercede remunerandi industriam eius, *concedo assertum;* — in mandatis quibus constat pecuniam dari exclusive *pro pretio rei commissae,* sive sit opus, sive opera, sive merx, *nego assertum.* — Atqui in nostra hypothesi ab ipsis adversariis supposita in definienda Missa manuali iuxta S. Sedis Decreta, stipendium sustentationis datum est solo *intuitu Missae applicandae,* neque alia donantis intentio praesumi potest nisi fuerit aliquatenus demonstrata: haec est Minor quae

subaudiri debet, eamque *concedo;* adversarius autem subaudit et quidem gratuito, praecise oppositum. — Atqui iterum, collatio stipendii facta solo intuitu Missae applicandae, se habet sicut pecunia tradita mandatario exclusive pro pretio rei obtinendae. — Ergo ex adversis praemissis, sequitur conclusio mihi, non vero obiicienti favens.

29. **Ad ultima verba** in recitato textu subnexa, « quid, si quis gratis se offerat ad onus implendum ? » — **responsio** est valde obvia: in casu huiusmodi, dominium illius pecuniae acquiritur primo illi sacerdoti, ex *spontanea et libera renuntiatione celebrantis,* non vero ex eo quod primus stipendium acceptans, ipsum iam fecerit suum absque onere per seipsum applicandi Missam. Hoc sane est ipsum suppositum adversae sententiae, suppositum tamen gratuitum, uti ostensum est, quod heic sub figura rhetoricae interrogationis insinuatur, tamquam demonstrationis adminiculum.

30. Haec omnia, uti reor, sua evidentia non potuerunt non affulgere menti eorum auctorum (8) qui illam opinionem nuperrime patrocinati sunt: ipsi enim eamdem rationem quam nunc confutavi, non tam absolute propugnant, quam potius eo sensu quod, ut aiunt, « non liquet talem esse (qualem nempe ego cum communi eam descripsi et vindicavi) intentionem illius qui stipendium contulit ». — Nimirum concederetur ab his Auctoribus laedi iustitiam commutativam a primo illo sacerdote qui stipendium celebranti transferret diminutum, *dummodo de facto constaret talem qualem eam demonstravi, fuisse* CAUSAM *contractus initi in collatione pecuniae pro Missa.* Atqui de facto, nisi expresse significetur, plerumque in ancipiti manet utrum talis fuerit mens donantis, an opposita. Potest igitur *favor ampliari,* ac mentem offerentis iure valemus latius interpretari in commodum primi donatarii.

31. **Respondeo,** si vera demonstraretur minor in hoc syllogismo assumpta, libenter utique, re spectata omnino

---

(8) Génicot in primis editionibus, II, 231, b. ; Noldin, edit. 6, III, 191, b, *Verum nullatenus constat.* Eorum verba legi possunt in cap. III.

praecisive sub solo respectu generico alicuius donationis sacerdoti factae in ipsius sustentationem, me concessurum donationem latiori interpretatione esse intelligendam in donatarii favorem quousque non constiterit de onere imposito et quidem imposito cum strictiori iustitiae obligatione, quoad omnes et singulas rei circumstantias. At vero agitur in praesenti non de qualicumque donatione sed de donatione cum onere Missae applicandae; atque omnes, imprimis ipsi adversae sententiae patroni, concedunt in huiusmodi materia praxim huic sententiae conformem, avaritiae et turpis lucri quaeritandi labe vel specie non esse immunem. Adaequate spectata idcirco ista praxis nequaquam vergeret in favorem sacerdotis: favor quippe mihi non est lucrum temporale quod vitii speciem ordinarie gerat. Ideo neque appellatum a me in obiectione proponenda, iuris principium applicare licet, *si eidem subiecto favere non valet quin simul sub altero respectu et quidem in ordine morum, noceat.* Unde nec ipsi Auctores argumenti contrarii, expressis verbis principium illud attulerunt, sine quo tamen ex allata ab ipsis altera praemissa, conclusio eorum non fluit.

32. Verum Minor illa, in hac ultima difficultate assumpta, nullatenus veritati congruit atque in diluendis praecedentibus difficultatibus, iam est adaequate praeoccupata. Sane est factum constans atque universale fideles ad sacerdotem saepe accedere Missam sibi applicari postulantes oblata stipe. Prima profecto interpretationis norma est verbis factisve expressa intentionis manifestatio: quaelibet interpretationis extensio quae hanc excedat, probari debet, non vero gratuito praesumi. In casu autem verba et facta supponuntur nullatenus ambigua: fidelis nihil aliud dixit quam se Missam postulare: nihil aliud fecit quam stipem offerre eamque assueta pinguiorem; sacerdos aliunde supponitur nullo personali titulo aut vinculo offerenti specialiter commendari. Ergo *causa* oblati stipendii, *exclusive est* Missae applicatio, eo ipso quod nulla alia a donante sive factis sive verbis fuerit manifestata.

33. **Confirmatur** porro haec interpretatio ex aliis factis quae occurrunt in eadem materia: 1) experientia constat, in locis ubi congruae sacerdotum sustentationi provisum est aliter quam per *solas* voluntarias fidelium oblationes, ipsos ab his omnino gratuitis et liberalibus donationibus plerumque se abstinere, et clero parochiali *iura stolae* ad summum, eaque non valde spontanea liberalitate elargiri: Episcopo nempe curam libentius relinquunt communiter fideles, ut clero sustentando provideat sive ex fundatis beneficiis, sive ex stipendiis officio annexis, qualia sunt v. gr. stipendia aliquo concordato firmata. Atqui praesupposita huiusmodi habituali dispositione, fideles qui stipendium offerunt pro Missae applicatione, praesumi debent non solum *principaliter* sed etiam *exclusive* hanc solam applicationem intendisse obtinendam, nec iure meritoque possunt *praesumi* liberaliter voluisse sacerdoti gratificari oblatam stipem vel huius partem, quippe quam non dedissent nisi Missam sibi particulariter applicari voluissent. Nisi ergo in singulis casibus, intentio haec omnino liberalis sive factis sive verbis innotuerit, dicenda erit defuisse. — In aliis vero locis ubi clero subvenitur vel exclusive vel praecipue liberis fidelium oblationibus, quia et beneficia sublata fuerunt et officiorum deficit retributio, utique circumstantiae et facta talia esse revera poterunt ex quibus illa omnino liberalis intentio facilius innotescere poterit. Verum hoc potius quam urgeri possit contra meam thesim, ipsam luculenter confirmat, ut per se patet.

2) Praemitto Suarezii animadversionem quam probat etiam Benedictus XIV. « Licet stipendia non sint vere pretia, tamen, quatenus in eis dandis et recipiendis ratio iustitiae intercedit, servant proportionem quamdam, et in eis necesse est aliquod medium aequalitatis inveniri, sine qua nec vera ratio iustitiae, nec medium illius reperiri potest.... » (9). Porro iidem subinde demonstrant hanc proportionem non

(9) Suarez In 3 P. Q. 83, Disp. 86, Sect. 2, n. 2, 4, 5. Ben. XIV *De Syn. Dioec.* L. 5, C. 9, n. 1, 2.

desumi ex unius diei sustentatione, cui aliunde principaliter provisum est beneficio vel officio, perinde ac si sacerdos ex sola Missae celebratione ali deberet, sed *accessorie* tantum et respectu habito ad ipsum hoc ministerium, spectatum simul cum aliis quae solent a sacerdotibus exerceri fonsque esse congruae sustentationis.

34. Hoc itaque praesupposito, huiusmodi determinatio *quantitatis* stipendii pro Missa manuali, exclusive refertur soli actuali celebrationi et applicationi unius Missae; i. e. offertur exclusivo intuitu unius huiusce applicationis. Iam vero reapse habetur singulis in locis consuetudine inducta determinatio quantitatis *minimae* quae rigorose exigi potest a sacerdote quem fidelis quisque obligare voluerit ad sibi applicandam Missam. Atqui huiusmodi consuetudo imo et statutum synodale quo plerumque firmatur, manifeste supponunt factum ipsum ex quo consuetudo adolevit et in quo statutum synodale fundatur, factum, inquam, quod singuli fideles quoties Missam manualem postulant, stipendium offerunt communiter solo et exclusivo intuitu illius solius actualis ministerii. Secus enim nulla erat ratio *minimum exigibile ex iustitia* determinandi: non enim ita definite limitantur oblationes quae sunt et fiunt intentione pure liberali. Ergo, concludo, ipsa lex Ecclesiae et consuetudo legitime vigens in singulis locis agnoscit stipendium Missae manualis a fidelibus de facto non offerri nisi exclusivo intuitu huius Missae sibi obtinendae, idque plerumque et communiter. — Si igitur stipendium hoc quandoque contingat esse pinguius, nequimus statim ex solo facto collati excessus supra quantitatem consuetam, concludere ad intentionem donantis omnino liberalem; sed debemus requirere vel in factis vel in verbis adiunctis, manifestationem huiusce insuetae intentionis: quae si inde non innotuerit, praesumenda erit non adfuisse, sed praevaluisse illa quae communiter a fidelibus haberi demonstratur.

3) Sed candide fateor me non videre cur debeam ulterius immorari in demonstrando id ipsum quod tam omnia S. Sedis decreta, quam omnes canonistae et theologi aper-

tissime supponunt et profitentur non exclusis ipsissimis illis theologis quos adversarios in praesenti experior: Nonne enim audivimus ab ipso Dominico Palmieri, ab Eduardo Génicot etc., Missam *manualem* definiri eam « in qua QUIVIS TITULUS DEEST A CELEBRATIONE DISTINCTUS, CUIUS INTUITU ELEEMOSYNAE DOMINIUM ACQUIRATUR? » (10). Porro huiusmodi Missa manualis de qua rerum et factorum imo et delictorum occurrentium necessitas infinitas leges et decreta sanciri ab Ecclesia a tribus saeculis exegit, huiusmodi Missa manualis, in ancipiti positum est utrum de facto ab intentione cuiusque stipem offerentis revera postuletur! « Nec liquet talem esse intentionem illius qui stipendium obtulit! »

Sine ambagine igitur absolute neganda est minor obiecti ratiocinii, et sublato ultimo sustentaculo quo moderni auctores fulcire conati sunt probabilitatem intrinsecam sententiae laxioris, thesis opposita resultat ex evidenti demonstratione CERTA ATQUE UNICE VERA.

Scholion.

De obligatione iustitiae commutativae quae in casu, ex solo Ecclesiae vetito oriretur.

35. In C. I, n. 2, quorumdam recensui opinionem iuxta quam obligatio iustitiae commutativae in casu, non tam a lege naturali orta esset, quam a solo humano Ecclesiae vetito. Porro alterum hoc effugium ex dictis manifeste se prodit praeclusum. Obligationem enim iustitiae commutativae iam ex *certo* naturae iure inductam vi ipsius initi contractus, lex humana non condit sed ad summum declarat et confirmat. Iuvat nihilominus hanc hypothesim in se ipsa paulo penitius perscrutari.

Notoria equidem est doctrina fundamentalis a S. Thoma in 2. 2. Q. 57, A. 2, in corp. proposita: « Ius sive iustum,

(10) Cf. *Introduct.* n. 2.

ait, est aliquod opus adaequatum alteri secundum aliquem aequalitatis modum: *dupliciter* autem potest alicui homini esse aliquid adaequatum: *uno* quidem *modo* ex ipsa natura rei; puta cum aliquis tantum dat, ut tantumdem recipiat; et hoc vocatur *ius naturale; alio modo* aliquid est adaequatum, vel commensuratum alteri ex condicto sive ex communi placito; quando scilicet aliquis se reputat contentum, si tantum accipiat. Quod quidem potest fieri *dupliciter: uno modo* per aliquod privatum condictum; sicut quod firmatur aliquo pacto inter privatas personas; *alio modo* ex condicto publico; puta cum totus populus consentit, quod aliquid habeatur quasi adaequatum et commensuratum alteri; VEL CUM HOC ORDINAT PRINCEPS, QUI CURAM POPULI HABET ET EIUS PERSONAM GERIT; et hoc dicitur ius positivum ». Lex humana itaque condere valet obligationem iustitiae commutativae, inter cives sibi subditos.

36. Atvero cum ius principis in bona subditorum non sit *directum*, sed *indirectum*, quia, uti scribit Ballerini (III, 11), « (ipse princeps) ius habet directum prospiciendi publicae necessitati, indirectum vero, quatenus potest praestare ea quae in hunc finem sunt necessaria » : suprema norma constituendi obligationem iustitiae commutativae inter subditos, ideoque dominium rerum transferendi inter eos, nequaquam consistit in mero arbitrio principis tamquam *supremi* rerum *domini;* sed desumenda est ex necessitate procurandi *bonum communitatis* cui soli ordinatur principis potestas. Porro bonum communitatis et ipsum subiacet superiori normae *naturalis iustitiae* et *iuris gentium* ad quod « pertinet, scribit S. Thom. (11), ea quae derivantur ex lege naturae, sicut conclusiones ex principiis; ut iustae emptiones, venditiones et alia huiusmodi, sine quibus homines ad invicem convivere non possunt: quod est de lege naturae ». Relate ad ista idcirco, voluntas humana principis condere nequit obligationem iustitiae commutativae nisi in quantum vel istis *certe* cognitis non repugnat, vel *incertis* accedit uti deter-

(11) S. Theol. 1, 2, q. 95, a. 4.

minatio congruens, vel etiam *certe quidem* cognitis in *principiis generalibus*, accedit ut applicatio eorum *ad particularia* (12).

37. His generatim enucleatis, in casu nostro agitur, nullo diffitente, de facto iuridico alicuius initi contractus qui certam ex iure naturali parit iustitiae commutativae obligationem inter partes; disputatum autem est tantummodo ab aliquibus de *subiecto cui* spectaret *totum* stipendium, ex certa iustitia collatum a primo offerente. Casus ergo evidenter reducitur ad enucleatam magis explicationem *causae* quae ex indubio naturae iure subest contractui inito; solumque ambigi poterit utrum de facto primus donator hanc intenderit *causam*, an aliam ex qua sequatur obligationem iustitiae commutativae contractam a primo acceptante, non urgere erga tertium Missam celebrantem. — Atqui huiusmodi dubium est magis *facti*, quam *iuris:* in utraque enim hypothesi constat *ex principiis certis iuris naturalis et gentium*, hinc adesse hanc obligationem, illinc vero non adesse. Vetitum igitur legislatoris humani in casu, ad summum constitit in authentica declaratione huius facti atque in prohibitione quominus, semel positis casus circumstantiis, intentio donatoris detorqueatur ad illam aliam *causam* contractus. Unde fit manifestum constantes illas Ecclesiae prohibitiones ex se solis *non condidisse* obligationem iustitiae commutativae in casu; sed effecisse tantum ut, si ipsa ex *naturali contractus de facto initi iustitia oriretur*, reapse urgere deberet primum acceptantem stipendium; secus non urgeret. Exinde patet, uti reor, ex ipsa quaestionis propositae natura paulo penitius inspecta, ineptum demonstrari effugium ab aliquibus excogitatum, ut nempe obligatio iustitiae commutativae in casu, certe oriretur *exclusive ab humano Ecclesiae vetito, quo ipsa fuerit immediate et directe condita:* dum e contra verum est eam ex iustitia naturali vel sola initi de facto contractus oriri;

---

(12) Lege S. Thomae, 1, 2, q. 95, a. 1; Suarez, *De legibus*, l. III, c. 12 nn. 9, 14, 16.

ideoque in huiusmodi materia et circumstantiis NEGANDUM EST SUPPOSITUM locum esse obligationi iustitiae humanitus condendae; sed si lex humana intervenit, nihil aliud facit quam *explicare* in casu ipsum ius naturae ac sua humana sanctione confirmare.

38. Idipsum comprobatur ex terminis harum omnium Ecclesiae prohibitionum, quas in nota 1 Cap. primi retuli. Nulla enim expresse sancit ne quidem ut poenam sive latae sententiae sive ferendae, obligationem iustitiae, et multo minus tamquam noviter et primum ab Ecclesia conditam. De verbis Benedicti XIV, in Encyc. *Quanta cura*, superius sermonem habui; ceteroquin neque ullus est qui eis tribuerit vim promulgandi ex sola humana Ecclesiae lege, obligationem iustitiae commutativae quam apertissime significant eadem verba. Imo facilius dixeris incidentem illam Pontificis assertionem insinuare obligationem iustitiae esse unum e *motivis* prohibitionis, quam legis *obiectum*, ideoque ex lege naturali *supponi a Pontifice*, non vero *condi*. — Propositio autem damnata ab Alexandro VII, tota versatur in retundenda opinione unius alteriusve scriptoris coaevi qui perperam existimaverat prohibitionem Urbani VIII non obligare quia non fuerat acceptata: eo sensu igitur Alexander in damnatione propositionis, negavit obligationi *satisfieri*, quo sensu Urbanus vetitum suum edixerat. Iamvero Urbanus, cum reticuisset omne motivum suae prohibitionis, eo ipso non manifestaverat sensum adaequatum eiusdem, sed reliquerat hunc sensum *ex rei natura determinandum*. Ergo nequidem ex illa damnata propositione quidquam deduci potest quo supradictae explicationi faveatur.

Unice urgeri posset responsum in eadem nota 1 relatum, S. C. C. *In Anconitana*, 5 Iulii 1664. Verum hoc nec fuit universaliter promulgatum, neque ut tale umquam receptum; imo fuit deploranda oblivione neglectum a plerisque. Ceteroquin in suo tenore evidenter se prodit hoc responsum, esse meram declarationem iustitiae in facto

ex contractu exortae, nequaquam, vero poenam inflictam, vel obligationem humano iudice impositam.

39. Tandem si, iuxta istius opinionis patronos, obligatio iustitiae commutativae in casu, urgeri cum certitudine nequit ex lege naturae, revera non video quomodo ipsi possint eam urgere uti certam ex huiusmodi Ecclesiae praecepto: nullibi in authenticis documentis expresse sancita occurrit; porro in odiosis minimum intelligi debet. Sed neque ad praxim S. Sedis et Romanae Curiae appellari potest in ea re, cum condonatio obligationis quae in alterutro foro consueverit concedi, vel ex singulorum casuum circumstantiis particularibus potuerit explicari tamquam declaratio alicuius causae a restitutione *excusantis*, vel sin minus, innixa fuerit in probabilitate ad summum extrinseca, qua eadem aetate haec opinio agnita est in scholis catholicis potiri, ita ut de obligatione dici potuerit *non satis constare.*

At vero si ita est, factum concessae condonationis frustra affertur in fulcimentum huiusce explicationis, neque induci potest tamquam causa obligationis *certae*, lex Ecclesiae quae nullo argumento *certa demonstrari potest.*

Lemma.

Synthesis argumenti hucusque evoluti.

40. Tota argumentatio quae in praecedentibus analytice proposita est ut difficultates, suo unaquaeque loco exhibita et remota, viam protrahendae conclusionis non obstruerent, tota argumentatio, inquam, ad sequentem synthesim facile reducitur. Stipendium sive sustentationis adiutorium pro Missa manuali collatum, iure naturali debetur totum illi qui Missam effective celebraverit, si primo acceptanti fuerit traditum ex sola atque exclusiva causa huiusce actualis celebrationis atque applicationis. Atqui talis et non alia est per se causa contractus quo tradi solet hoc stipendium pro Missa manuali. Ergo.

In eo syllogismo cardo controversiae residet in propo-

sitione Minori. Dum enim utraque adversariorum pars assensum detrectare nequit Maiori conditionatae, quippe qua enucleatur tantum natura et definitio cuiusvis contractus, altera contendit alterum reapse initum fuisse contractum quo distractio partis stipendii permitteretur, altera vero alterum quo haec distractio excluditur. — Porro minor illa utpote in facto constituta, eo modo demonstratur quo omne factum humanum contingens et liberum comprobari solet, ex inductione scilicet qua nititur lex moralis inde resultans; et quandoquidem agitur non de solo nudo facto externo, sed de intentione quae initi contractus *causa* reapse exstitit, aliter demonstrari haec intentio non potest quam *ex interpretatione usuali* verborum et facti quibus Missa postulatur, atque ex circumstantiis in quibus postulari consuevit. Quod existimo plene et perspicue fuisse superius perfectum, praesertim in solutione argumentorum a recentioribus allatorum; qui probe perspexerunt totam solutionis clavem in eo reperiri. Huiusmodi autem interpretatione usuali quam ex professo institui, certe nititur ipsa Missae manualis definitio, Ecclesiae decretis supposita atque ab omnibus Theologis et Canonistis exhibita: nemo enim dixerit hanc definitionem fuisse a priori constitutam; sed quia omnes viderunt illam *exclusivam* intentionem ex constanti fidelium praxi emergere, ideo eam posuerunt tamquam notam et discrimen specificum, in definitione Missae manualis. Haec porro contradistinguitur a Missis *fundatis, ratione originis* tantum; et a Missis *beneficio vel loco* annexis, quia in his alius titulus praeter solam actualem Missae celebrationem atque applicationem, vel expresse determinavit, vel ex circumstantiis certe praesumitur determinasse donationem stipendii earum. Sed haec sufficiant de argumento ex natura rei desumpto.

Parergon.

Quomodo simonia iuris divini excludatur a stipendio Missae ex iustitia debito.

41. Omnibus notum est in scholis, quot et quantis difficultatibus implicata existat quaestio de modo eximendi a labe simoniae iur. dir. obligationem iustitiae commutativae ortam ex quasi contractu Ecclesiae cum ministro bonorum supernaturalium, relate ad stipendium eius sustentationis, vel ex contractu particulari intercedente inter offerentem et acceptantem stipendium pro Missa manuali. Equidem contenti sunt omnes cum S. Thoma, ad avertendam hanc simoniae labem, pecuniam non dari in *pretium* operis supernaturalis vel fructus eius, sed in *sustentationem* ministri; at vero per hanc primam explicationem nondum elucet quomodo ex iustitia commutativa minister teneatur supernaturale suum opus praestare vi supradicti initi contractus, *quin reincidat in comparationem operae vel rei supernaturalis quam praestat, cum stipendio temporalis sustentationis sibi procuratae ab altero contrahente;* ideoque in simonian incurrat quam evitare voluerat. — Porro P. Ballerini (*Op. mor.* II, n. 463, et seq.). nullum invenit qui melius solveret propositum nodum quam Paulus Laymann. Huius itaque textum integrum iuvat retulisse ut manifestum fiat ipsum incoepisse quidem viam ingredi adaequatae solutionis, totam tamen non esse prosecutum: quod subinde perficere conabor.

42. Laymann, L. IV, Tr. X, Cap. VIII, n. 41 controversiam ita exponit: « Controversum est utrum labor, seu defatigatio corporis, QUAE PER SE AC NECESSARIO CONIUNCTA EST CUM SACRO MINISTERIO, puta celebratione Missae.... pretio aestimari aut mercede locari possit ».

Affirmant Adr. Quodl. 9, Art. 1; Rich. In 4, Dist. 25, A. 3, Q. 3; Bonav. Art. 1, q. 5, prope fin.; Gloss. In C. *Significatum*, De praeb. Ver. *ita quod.* Cum enim omnis labor corporalis

mercede possit (aestimari et compensari), consequenter etiam ille qui in spiritualibus functionibus subeundus est, iuxta verbum Chti (Luc. 10), *Dignus est operarius mercede sua*. Confirmatur: ubi est meritum operationis secundum iustitiam, ibi merces debetur: quia meritum et merces correlata sunt, iuxta illud Matthaei 20, *Voca operarios et redde illis mercedem*. Sed in clerico spiritualia ministrante est meritum operationis secundum iustitiam, sicuti habetur in causa 1, quaest. 2, cap. ult.: secundum servitii sui meritum consequatur. — Sed alii communiter negant, S. Th. in 4, D. 26, q. 3, a. 2, q[la] 2; Durand. q. 3, n. 10; Palud. quaest. 5, a. 2, concl. 1; Abb. in cap. *Suam* n. 4, De Simon.; Sylv. Verb. *Simonia*, q. 9, dict. 3; Soto q. 9, a. 1; Suarez, In quaest. 83, art. 6, III, P. Disp. 86, sect. 1, n. 6; Lib. IV, De Simonia, Cap. 21, n. 10; Lessius, *de iust.* cap. 35, n. 52. Nam operatio et labor corporis non est pretio aestimabilis nisi in ordine ad opus, cuius causa suscipitur: si ergo opus spirituale ideoque invendibile est, neque corporis labor, per se, intrinsece ac necessario requisitus, vendi aut pretio aestimari poterit. Etenim cum corporalis labor nihil per se proficiat absque spiritualis operis fructu, *quisquis horum alterum vendit, sine quo nec alterum provenit, neutrum invenditum derelinquit*, ut habetur in capit. *Si quis obiecerit*, quaest. 3 (13).

43. Idem, Suarez, cit. c. 21, n. 10, clarius prae ceteris explicat: « Dico ergo totum illud opus, cum toto suo intrinseco labore et conditionibus omnibus quas per se habet adiunctas, factum esse inaestimabile pretio per elevationem ad spiritualem ordinem et intimam coniunctionem cum ratione sacramenti aut alterius sacri ministerii ». Idem numeris 11-13 explicatur ex contrariis; et n. 14 ipse ita prosequitur: « Dicendum videtur non solas operas et labores quibus intrinsece quasi componitur actus ipse spiritualis, sed etiam quae per se necessariae sunt ad tale ministerium sacrum, prout ab hominibus moraliter exerceri potest, non debere nec posse pretio aestimari.... Ratio a priori est tum

(13) Cf. COROLLARIUM in fine parergi.

quia illa omnia, quatenus per se necessaria sunt ad tale ministerium, veluti componunt unum opus morale quod totum sacrum est et ut tale est tractandum ; tum etiam quia omnes illae actiones, prout fiunt in Ecclesia, non habent aestimationem nec utilitatem nisi ratione operis spiritualis, seu ministerii ecclesiastici ad quod ordinantur, et ideo si illa pretio fierent, ministerium ipsum venderetur ».

44. Ratione illius connexionis *intrinsecae* ita explicata, Laymann, l. c. n. 42, existimat « Doctores *in re ipsa*, sacris canonibus satis definita, NON DISSENTIRE AC FACILE CONCILIARI POSSE, si dicatur quod operatio et labor corporis in spiritualibus ministeriis ad alterius gratiam voluntatemque susceptus, duobus modis considerari possit : vel in ordine ad opus spirituale secundum propriam et specificam eius rationem utilitatemque vel IN ORDINE AD OPERANTEM, secundum genericam rationem operis, aut servitii in alterius gratiam praestiti. Secundum priorem considerationem dico cum S. Thoma et communi DD. sententia, pro labore corporali per se coniuncto cum spirituali ministerio pretium accipi non posse : quia aestimanda esset ipsa spiritualis functionis dignitas atque utilitas. Secundum posteriorem vero considerationem dico ecclesiasticis ministris propterea quod in spiritualibus occupati sunt in gratiam fidelium, ex iustitia deberi temporalia, non ut pretium operis specialis, sed ad sustentationem vitae. Cum enim omnibus aliis operationibus AD ALTERIUS VOLUNTATEM, necessaria sustentatio naturali iure debita sit, cur non etiam iis qui in spiritualibus ministeriis occupantur ? Quia tamen sustentatio ista non commensuratur valori, dignitati utilitatique operis, secundum propriam, specificam rationem suam, ideo non potest appellari pretium sive aestimatio operis nisi improprie et abusive, ut idem sit quod merces, id est quodcumque praemium ex iustitia debitum operanti, quamvis non secundum commensurationem operis, sicut etiam vita aeterna dicitur merces operum, licet in proportione multum excedat iuxta illud ad Rom. 7, *non sunt condignae passiones huius temporis ad futuram gloriam.* Idque

notavit S. Th. Q. 100, a. 1, ad 3. Quo etiam sensu, Num. c. 18, decimae levitis dicuntur assignatae tamquam *pretium pro ministerio*, et Luc. 10, dicitur *operarius dignus mercede sua* ».

45. « Sin vero mercedis nomen stricte accipiatur, ut idem sit quod pretium seu aestimatio operis, tunc negari debet pro ministerio ecclesiastico mercedem exigi posse: sed rectissime dicitur ecclesiastico ministro dari stipendium sustentationis: quia datur cum habitudine ad personam operantem, quatenus ea, consideratis qualitatibus, v. g. generis nobilitate, doctrina, studio et laboribus assiduis, magis indiget aut digna est. Quemamodum enim, si persona aliqua constituatur ut ad voluntatem alterius laboret sine ullo fructu et utilitate, v. g. aedificando et aedificata mox destruendo, licet huic homini non debeatur proprie pretium operis, cum illud nullius aestimationis ac valoris sit: debetur tamen merces sustentationis, spectata qualitate personae laborantis in alterius gratiam. Ita similiter, ministranti spiritualia non debetur pretium aut merces operis, quod, licet dignissimum atque homini utilissimum, tamen propter spiritualem elevationem suam, inaestimabile est; sed debetur stipendium sustentationis personae, sicut S. Augustinus docet in Serm. 46, *De Pastoribus in Ezech.* cap. 34, 1-16 (Migne, XXXVIII, 370 et seq.) cap. 2, n. 5, ubi postquam dixisset praedicatoribus evangelii debitum esse temporalem victum, postea subiungit: « Unde ergo vivitur, necessitatis est accipere, charitatis est praebere: non tamquam venale sit evangelium, ut illud sit pretium eius, quod sumunt, qui annuntiant, unde vivant. Si enim sic vendunt, magnam rem vili vendunt. Accipiant sustentationem necessitatis a populo, mercedem dispensationis a Domino. Non enim est idoneus populus reddere mercedem illis, qui sibi in charitate evangelii serviunt. Non expectent illi mercedem, nisi unde et isti salutem. Quid ergo isti increpantur, unde arguuntur? Quia cum lac consumerent, et lanis se tegerent, oves negligebant. Sua ergo tantum quaerebant non quae Iesu Christi (Phil. II, 24) ».

46. Haec quidem omnia vera et pulchra sunt, non tamen videntur ad ultimum apicem solvere quaestionem. Obligatio enim praebendi sustentationem ministro publico bonorum supernaturalium, *per se* est obligatio iustitiae *distributivae* qua generatim urgentur superiores Ecclesiae ad distribuenda bona, proportionali ratione servata onerum et officiorum. Idcirco ea sustentatio eidem ex iustitia *commutativa* non deberetur nisi in virtute collati et acceptati muneris illius publici, QUASI-CONTRACTUS insuper intercessisset communitatem inter et ministrum eius. Porro quando dicitur stipendium a postulante Missam sacerdoti deberi ex titulo sustentationis, vel appellatur ad solam illam obligationem iustitiae distributivae quam Missam postulans ex libero suae postulationis facto sibi particulariter assumit adimplendam, vel recurritur insuper ad contractum qui inter utrumque particulariter intercedat. Si dicatur primum, cum haec obligatio iustitiae distributivae non excludat annexam obligationem commutativae iustitiae ex contractu, hoc NIHIL IUVAT ad excludendam simoniam comparationis ministerii supernaturalis cum stipendio temporali. Si vero dicatur alterum, tantum abest ut difficultas resolvatur, ut potius integra transferatur etiam ad quasi-contractum illum quo ex iustitia commutativa stipendium generatim debetur ministerio bonorum supernaturalium. Unde remanet explicandum non solum quomodo simonia exulat a conventione particulari postulantis Missam cum sacerdote acceptante stipendium, verum etiam a quasi-contractu quo sustentatio ab Ecclesia debetur cuicumque legitime exercenti ministeria spiritualia.

Insufficiens igitur est explicatio a Paulo Laymann proposita, quia dum excludit a stipendio rationem mercedis stricte acceptae, ut scopulum evitet simoniae, incidit in alterum scopulum supprimendi omne possibile fundamentum obligationis iustitiae commutativae qua tamen, nullo diffitente, stipendium sacerdoti litanti debetur a postulante Missam. Recte quidem ipse dixerat « quod operatio et labor corporis in spiritualibus ministeriis ad alterius gratiam vo-

luntatemque susceptus, duobus modis considerari possit: vel in ordine ad OPUS spirituale.... vel in ordine ad **operantem** secundum genericam rationem operis aut servitii in alterius gratiam praestiti ». — Verum sedulo advertatur quod etiam sub hoc ultimo respectu, OPERA *sacerdotis ministerium supernaturale exercentis* non minus quam ipsum exercentis OPUS, spectata etiam in sola sua *materialitate*, est *per se coniuncta* cum supernaturalitate et cum ea componit ut ait Suarez, « unum opus morale quod totum sacrum est et ut tale est tractandum ». Et ipse Laymann : « *operatio* et labor corporis non est pretio aestimabilis *nisi in ordine ad opus cuius causa suscipitur:* si ergo *opus* spirituale ideoque invendibile est, neque corporis **labor** per se intrinsece ac necessario requisitus, vendi aut pretio aestimari potest ». — Inde evidenter concluditur quod in illa conventione postulantis atque acceptantis Missam pro stipendio sustentationis, ratio iustitiae commutativae necessario admittenda, nequit absque labe simoniae reponi in aequalitate tam *operis* quam *operae*, sive *operationis* quam OBIECTIVE confert sacerdos, utpote a qua ratio supernaturalitatis quae invendibilis est, separari realiter nequit sed tantum mentis abstractione ; et ratio egregie datur a Laymann, quia nimirum « corporalis labor (id est vel *opus* Missae vel *opera* eam celebrantis) nihil (alteri) per se proficit absque spiritualis operis fructu », scilicet absque operis ac operae supernaturalitate. Requirendus igitur, sicut et Laymann requisivit, in ipso SUBIECTO, nempe in sacerdote, alius terminus qui possit respondere stipendio collato. Atque heic praecise defecit in sua explicatione Laymann quippe qui, ut superius ostensum est, constitit in sola ratione finis ad quem stipendium destinatur, neglecta ratione aequalitatis rei ad rem ex qua sola salvatur iustitia commutativa.

47. Iamvero in SUBIECTO Missam promittente, occurrit ratio *libertatis* qua dominus est sui ipsius suaeque operationis cuiuscumque ; eam autem sibi servare immunem a quacumque obligatione, est aliquid *in se* et *praecisione omnino*

facta ab ipsius obiecto, est aliquid pretio temporali aestimabile. Est quidem ordinis spiritualis non tamen *supernaturalis,* cum sit maximum bonum homini *naturale posse* pro lubitu sui arbitrii de operatione sua qualiscumque ea sit, disponere. Porro huiusmodi bonum est certe pretio temporali aestimabile non quidem arithmetica aequalitate sed per aliquam proportionem. Et quidem termini comparativae proportionis communiter desumuntur ex *obiecto* exercitii huius libertatis atque ex *circumstantiis,* uti manifestum est v. g. in mercede qua retribuitur magisterium quodvis intellectuale, expostulatum ab eo cui nulla lucrandi necessitas aut obligatio ex officio incumbit ipsum tradendi, quemadmodum sunt hodie quae dicuntur *conferenze.* — Verum in praesenti iam vidimus omnem habitudinem ad OBIECTUM esse omnino excludendam in stabilienda hac aequalitate etiam tantum proportionis. Nihil superest igitur praeter quam quod mensura desumatur pro stipendio Missae ex titulo sustentationis ministro communitatis debitae, unde proportionaliter determinari possit *valor exercitii libertatis* cui ipse cessit favore postulantis Missae applicationem; *valor,* inquam, *temporalis* et *naturalis,* neutiquam vero spiritualis et supernaturalis: nam *praesupposita* constitutione legitima ministri rerum supernaturalium in Ecclesia, sustentatio ei debetur iustitia distributiva ex necessitate *naturali* quam habet vivendi, non praecise ex indole supernaturali ministerii quod praestat; quae duo profecto sunt *re,* nedum *ratione* tantummodo separabilia. Potest idcirco vel generatim per quasi-contractum Ecclesiae cum suo ministro, vel speciatim per particularem conventionem de una Missa pro determinato stipendio, institui aequalitas rei ad rem quae propria est iustitiae commutativae inter valorem temporalem libertatis suae qua se abdicat sacerdos, et stipendium ipsi attributum pro sustentatione.

Hic quidem valor temporalis suae libertatis qua se abdicat sacerdos, utique Missam postulanti non affert aliam utilitatem quam supernaturalem; sed hoc parum refert nec inducit simoniam in pacto, cum merces tribuatur sacerdoti

non pro ea supernaturali utilitate sed pro *bono naturali* quo *se privat.*

48. Nec difficultatem facessere potest quod valor ille temporalis determinatus fuerit non per aequalitatem arithmeticam sed per proportionem geometricam: cum iustitia commutativa prosequatur utique comparationem aequalitatis rei ad rem, non tamen necessario aequalitatis arithmeticae, sed etiam saepissime proportionis tantum geometricae, uti manifestum est vel in ipsa locatione operarum spiritualium, imo in venditione rerum quarum valor augetur etiam ex aestimatione commodi ordinis moralis quo vendens eas se privat, sicuti si v. g. quis vendiderit memoriale patris defuncti.

49. Haec igitur esse videtur sola explicatio illius salebrosi problematis de simonia excludenda a mercede quae ministro tribuitur bonorum supernaturalium, quippe quae explicatio omnibus difficultatibus apte imo adaequate satisfacere possit et clare demonstret debitum iustitiae commutativae initae conventionis aut quasi-contractus, simoniam iuris divini nequaquam involvere. Ea insuper eo magis praeplacet quo facilius aptari potest iis quae in ipsa re, et a iure canonico, et a probatis auctoribus vel fuerunt constituta vel doctissime disputata. Ne tamen limites praetergrediar huius parergi, me abstineo ab ulteriori thesis confirmatione. Ceteroquin quae heic a me evoluta sunt, haberi possunt ut ulterior explicatio verborum Pauli Laymann, quae sunt a me recitata.

Nec confundenda est huiusmodi explicatio cum alia quam Suarez (*De virt. Relig.* Tr. III, L. IV, *De simonia,* Cap. 21, n. 4 in fine, 16 et 17) dicit fuisse aliquorum, scilicet comparationem per pactum institui inter temporale sustentationis stipendium et *obligationem* praestandi supernaturale ministerium. Haec nimirum explicatio profecto sustineri non potest si totus valor susceptae obligationis desumatur ex termino eius OBIECTIVO, ut ipse Suarez supponit in ipsa huius opinionis confutatione quam l. cit. subiicit. At vero in explicatione a me proposita, *valor* suscepti liga-

minis sive obligationis est penitus independens a *valore obiectivo* operis vel operae praestitae: sed totus desumitur ex incommodo SUBIECTIVO quod sacerdos suae libertati imponit ut privetur facultate disponendi pro lubitu de sua persona: id quod pretio sive stipendio temporali aestimatur, nequaquam est commodum seu bonum *quod petenti Missam, confertur,* sed est libertas illa *qua proximo serviens privatur.* Simili aliqua ratione, vendens v. gr. annulum quem asservabam ut memoriale mei defuncti patris, possum pretium exigere multo maius valore intrinseco ipsius annuli, ratione valoris inestimabilis qui ei inhaeret ex illa memoria. Atque ita plene solvitur ratio quam Suarez l. c. urget adversus sententiam illam, si detorqueatur adversus praedictam explicationem. Nam privatio haec liberae dispositionis est pretio etiam aestimabilis, omnino facta praecisione a valore rei *obiectivo*, et potest *realiter* ab hoc particulariter spectato separari: quia pretio mihi aestimabile est quod nulli in qualicumque servitio praestando tenear, sed LIBER REMANEAM A QUAVIS SERVITUTE. Nec finis obtinendi applicationem Missae quem spectat ille qui stipendium offert, in linea comparationis institutae ullatenus ingreditur ad constituendum valorem utriusque termini ut patet, cum valor stipendii desumatur respectu habito non ad operam supernaturalem sive in sua materia sive in sua forma sive in utraque spectatam; sed ad sustentationis adiumentum litanti exhibitum, sicut explicat etiam Bened. XIV *De Syn. Dioec.* L. V, C. 9. n. 1 et 2. Porro Suarez ipse de hoc convenit. Lege ipsum in cap. cit., n. 17 in fine.

50. Propterea falsum est quod optimus quidam censor mihi tandem obiecit, meae explicationi applicari posse quod Card. De Lugo mox citandus, dicit de illa altera: eam scilicet esse simoniam palliatam, cum valor obligationis ad dandam rem supernaturalem vel praestandam operam supernaturalem, nullus sit nisi ex eius habitudine ad hanc rem vel operam: **Respondeo** enim id concedi de *obligatione* spectata in suo *obiecto* atque in utilitate quam confert imponenti vel sibi postulanti eam, ac in favorem suum

stipulanti; at in explicatione quam dedi, *servitus* a ministro rerum supernaturalium suscepta, spectatur in ordine ad *subiectum* ipsum eam suscipiens ac sua se privans libertate: porro linea comparationis qua salvatur iustitia commutativa contractus initi, nequaquam constituitur inter stipendium hinc collatum et inde obligationem in obiectivo illo valore aut in utilitate alterius contrahentis computatam; sed inter stipendium sustentationis et servitutem libertati suscipientis eam, impositam, **excluso** valore servitutis obiectivo, i. e. hoc valore nullatenus computato. Ideo nulla hic habetur simonia palliata, sed potius EXCLUSA. Nihil vetat igitur, spectata sola iuris *divini* simonia, quominus modo explicato possit suscipi sustentationis adiumentum ex cessione proprietatis cuiuscumque rei sacrae, vel ex exercitio cuiuscumque ministerii supernaturalis: nonne ea sola ratione explicari potest v. gr. adiutorium sustentationis quod alicui tribuitur solummodo quia confessiones audit in tali ecclesia, vel in tali monasterio? Alia quaestio est de simonia iuris mere ecclesiastici, cum multa prohibeantur ab Ecclesia non quia sint simonia iuris divini palliata, sed quia *speciem* eius prae se ferre possunt, vel *ratione periculi* ne mutatis terminis aequiparationis supradictae, incurratur reapse in simoniam iuris divini.

Idem omnino dicendum est de aliis rationibus quas Card. De Lugo, *De Euchar.* disp. 21, n. 7-9 (14) subtiliter

---

(14) Ita Card. De Lugo, eo loco : « Alii quarto dicunt, stipendium non dari pro Missa sed pro obligatione qua sacerdos obligat se ad celebrandum. Nam licet Missa sit invendibilis, obligatio tamen illa est aliquid distinctum a Missa cum possit esse sine Missa; atque ideo poterit esse vendibilis, prout contradistinguitur ab ipsa Missa. Hunc modum dicendi refert P. Suarez tom. 1 *de religione* lib. IV, *de simonia*, C. XXI, n. 16, et breviter impugnat: quia obligatio illa, secundum ordinem quem habet ad spiritualia, est invendibilis: alioquin ipsum spirituale ministerium venderetur, vel ut res vendita, vel ut ratio venditionis, atque adeo res appretiaretur ex sola spiritualitate, quod est absurdum ».

8. « Possum hanc absurditatem multipliciter declarare, PRIMO, quia si obligatio dandi rem spiritualem, prout condistincta a re spirituali, vendi potest, datur locus palliandi omnes simonias, vel certe consequendi eumdem finem absque simonia. Dicet enim aliquis : do tibi mille nummos, non pro

urget contra illam sententiam OBIECTIVE intellectam; quarum nulla meam explicationem impetit; imo aliqua nempe secunda (n. 8) retorqueri potest adversus Lugonem, in meam conclusionem: si enim sacerdos obligationi susceptae non satisfecerit, falsum est eum non teneri ad restitutionem eo quod tenebatur tantum ex accepto stipendio *obligationem* subire quam reapse subiit, non vero Missam in facto *applicare:* nam obligatio in mea sententia assumitur ut *medium* ad obtinendum finem appli-

---

re sacra, aut pro beneficio, vel ordine, sed pro obligatione illa praestandi, quae obligatio vendibilis est. SECUNDO, quia si non datur stipendium pro Missa, sed pro obligatione ad Missam, qui accepto stipendio postea non offert Missam, non debet restituere stipendium acceptum, quia illud non accepit pro Missa, sed pro obligatione ad Missam, quam obligationem vere subivit, et ita qui stipendium dedit, licet non habuerit Missam, habuit totum id quod emit, scilicet obligationem sacerdotis ad Missam. Peccabit ergo sacerdos non ponendo Missam, ad quam se obligavit, non tamen tenebitur ad restitutionem stipendii quod non accepit pro Missa, sed pro obligatione ad Missam, quam obligationem iam posuit. Unde si postea morbo vel irregularitate superveniente, impediatur a Missa celebranda, non deberet restituere stipendium acceptum, cum adhuc habuerit et habeat obligationem ad Missam, si auferatur impedimentum, pro qua sola obligatione datum fuit stipendium ».

9. « Hinc argui potest TERTIO, quia obligatio ad dandum librum, non habet aliam aestimabilitatem aut utilitatem, nisi quam habet ipse liber: aestimabilitas ergo obligationis ad Missam mensurari debet ex aestimabilitate ipsius Missae, quae cum non sit compensabilis vel adaequabilis cum pretio temporali, consequens est ut non possit tali pretio vendi eiusmodi obligatio, quia obligatio ad rem et res ipsa sunt eiusdem ordinis. QUARTO, quia potest aliquis dicere sacerdoti: si feceris sacrum pro me, dabo tibi postea stipendium; tunc autem non dat pro obligatione sacerdotis, nam sacerdos ad nihil se obligat, sed facit sacrum et postea recipit stipendium. Unde arguitur QUINTO, quia ille pro quo dicitur Missa non erat obligatus ex iustitia dare stipendium, antequam Missa dicatur: sed post Missam positam non potest dare stipendium pro obligatione sacerdotis, quia iam sacerdos nullam habet obligationem, ergo non restat aliud nisi ipsa Missa, pro qua solvatur stipendium. SEXTO, quia si potest emi obligatio sacerdotis ad Missam offerendam, poterit etiam emi ius quod remanet in dante stipem, ad hoc ut pro ipso Missa offeratur: nam reipsa idem est debitum sacerdotis, et ius activum in altero contra sacerdotem, sicut idem est, Petrum debere mihi centum aureos, et me habere ius contra Petrum ad centum aureos: ergo si potest emi obligatio sacerdotis, poterit emi ius activum meum ad illas Missas, hoc autem est absurdum: nam ius ad spiritualia est spirituale et invendibile, ut constat: ergo et obligatio passiva erit invendibilis ».

cationis Missae; valor tamen qui stipendio commensuratur, istius medii, non desumitur ex fine eius sed ex privatione libertatis *subiectivae*, *ex servitute* quam suscepta obligatione patitur sacerdos. Porro si non impleverit obligationem, *verbis* quidem obligationem suscepit, *re* tamen libertate illa non se privavit: ergo reapse neque obligationem pacto susceptam implevit ideoque ad restitutionem tenetur. Tandem sexta ratio ibidem allata (n. 9) contra meam explicationem urgeri sic posset: ex eo quod possit stipendio aestimari illa libertatis privatio, consequitur pretio etiam aestimari posse ius dantis stipendium ad Missam obtinendam: quippe obligationi correlativum est ius in altero: sed RESPONDEO in explicatione mea id posse sine ullo inconvenienti concedi cum translatio huius iuris in tertium non aestimaretur ex suo valore obiectivo, sed ex incommodo temporali quod primo offerenti stipem inde accideret, nempe ex amissione pecuniae quam obtulerat sacerdoti quamque a tertio cui Missa loco ipsius applicaretur, iure posset repetere.

Ceterae a Card. De Lugo rationes facillime resolvuntur, nec iuvat in eis ulterius immorari.

Corollarium.

De Can. « Si quis obiecerit » 7, C. I, Q. 3.

51. De hoc Canone a Laymann citato in subsidium ipsius explicationis, omnino conferendus est SEB. BERARDI, *Gratiani canones*, Tom. III, Cap. 74. Siquidem apocryphus non sit, qualis a Friedberg aestimatur, Auctorem habuit Paschalem Pp. I (a. 817-824). Porro fere iuxta Romanam correctionem (15) sic a Friedberg refertur : « Si quis obie-

(15) Revera ecce textus romanae correctionis quem transcripsi ex typica editione iussu Gregorii XIII, an. 1582, Romae, in aedibus Populi Romani impressa. Exemplar exstat in Bibliotheca Alexandrina Romanae Universitatis « Sapienza » denominatae. Notavi charactere italico discrimina huius lectionis a lectione per Friedberg restituta. « Item Paschalis Papa. QUI ECCLESIASTICA BENEFICIA EMERIT, ECCLESIAS QUOQUE EMERE PROBATUR. — Si

cerit non consecrationes emi, sed res quae ex consecratione proveniunt, penitus desipere probatur. Nam cum corporalis ecclesia, ut episcopus aut abbas, aut tale aliquid sine rebus corporalibus in nullo proficiat, sicut nec anima sine corpore, corporaliter vivit, quisquis horum alterum vendit sine quo nec alterum provenit, neutrum invenditum derelinquit. Nullus ergo vendat ecclesiam vel praebendam vel aliquid ecclesiasticum, nec pastellum nec pastum antea vel postea pro huiusmodi solvat. » — *Res ex consecratione provenientes*, quae in obiectione emi dicuntur, non sunt in sensu obiicientis, fructus spirituales, sed *iura temporalia* quae ex re *sacra* sive ex officio spirituali vel sacro proveniunt: obiectio idcirco videtur loqui de ea sola re *temporali* quae *consequenter* annectitur rei *spirituali;* verum responsio Pontificis cum vetito, generalior est, uti fit manifestum *ex materia* ab ipso enumerata atque *ex ratione formali* prohibitionis. Revera materia enumeratur 1° corporalis ecclesia; 2° episcopus aut abbas; 3° praebenda; 4° quidquid aliud ecclesiasticum huiusmodi. Eas porro res aut personas ipse spectat in quantum actu sunt *ecclesiasticae*, i. e. Ecclesiae addictae vel consecratione vel benedictione, vi cuius sacra ministrant aut sacris exercendis inserviunt; hisce, in prohibitione qua canon concluditur, adiungitur etiam *praebenda*, de qua speciatim obiectio, non quia *ratio formalis* a Pontifice explicata eodem modo verificetur in praebendae venditione, ac in venditione corporalis ecclesiae, sed potius quia *a fortiori* in ea comprobatur, sicuti mox fiet manifestum.

---

quis obiecerit non consecrationes emi, sed res *ipsas* quae ex consecratione proveniunt, penitus desipere probatur. Nam cum corporalis ecclesia, *aut* episcopus aut abbas, aut tale aliquid sine rebus corporalibus in nullo proficiat, sicut nec anima sine corpore corporaliter vivit: quisquis horum alterum vendit, sine quo nec alterum provenit, neutrum invenditum derelinquit. Nullus *igitur emat* ecclesiam vel praebendam vel aliquid ecclesiasticum: nec pastellum, nec pastum ante, vol postea pro huiusmodi solvat ».

Rubrica a Friedberg sic: « Qui ecclesiastica beneficia em*unt*, ecclesias quoque emere proba*ntur* ».

52. *Ratio formalis* prohibitionis a Pontifice edictae, in eo ponitur quod connexio rei corporalis cum bono spirituali, sit *adeo necessaria* ut, si defecerit res corporalis, nec res spiritualis produci possit: ideo « quisquis horum alterum vendit sine quo nec alterum provenit (vendit scilicet corporale, dum *tali* connexione existit unitum cum spirituali consecratione vel potestate, *ut* haec exerceri nequeat sine corporali cui inhaeret) neutrum invenditum derelinquit »: aliis verbis: iste vendens eo ipso censetur pretio temporali aestimare non solummodo valorem materialem illius elementi externi vel corporalis, sed etiam ipsam connexionem cum spirituali, ideoque simoniacus est; sicut scripsit S. Thomas (2, 2, Q. 100, A. 4, ad 1): « Ipsa quidem temporalia vendere licet, sed *ordo eorum ad spiritualia* sub venditione cadere non debet ».

Iamvero huiusmodi ratio formalis propter quam a Pontifice prohibetur talis venditio, singulis rebus sacris ab ipso enumeratis, diversimode applicari debet, pro diverso ordine ad spiritualia qui singulis competit. Sane 1° cum praebenda *consequenter annectatur* officio spirituali, ne potest quidem ab eo reapse seiungi, quin non solum suum valorem, prouti *ius* est, amittat, sed ipsam amittat existentiam: ius enim perit si defecerit fundamentum a quo *resultat:* ideo si vendatur praebenda, eo ipso venditur ordo huius resultantiae qua *refertur* ad spirituale, idque ex ipsa *rei natura*. Propterea simonia huiusmodi venditionis est iuris divini et fuit *ideo* prohibita a Paschali *quia* intrinsecus illicita.

53. Ecclesia e contra, *antecedenter* consecrationi annexa, etiam postquam fuit consecrata suum valorem asservat temporalem, *independenter* a consecratione: ideo *per se* potest aestimari et vendi quin eo ipso vendatur ordo ipsius ad consecrationem, neque huiusmodi venditio *necessario et obiectivo nexu* involvit simoniam iuris divini. Propterea *ideo* fit illicita *quia* prohibita, et ratio formalis prohibitionis a Pontifice explicata, in eius venditione verificatur tantum *ex fori externi praesumptione:* quisquis enim eam consecratam vendit, nisi expresse protestatus fuerit se consecrationem

non vendere, merito praesumitur hanc pretio temporali inclusisse quo ipsam consecratam vendidit: *merito*, dico, *praesumitur*, quia tota forma materialis huiusce aedificii ordinatur ad cultum exercendum, suumque inde complementum ex consecratione sive benedictione assequitur; unde qui eam iam consecratam emit, ex ipsa rei natura censeri debet complementum consecrationis in pretio temporali solvendo respexisse. Imo facile contingere potest ut *consequenter* ad consecrationem augeatur pretium vel temporale solum ecclesiae. Ideo simplex illa protestatio ne admittitur quidem ad excludendam simoniae iuris divini suspicionem, sed requiritur insuper legitima dispensatio a lege positiva Ecclesiae, venditionem prohibente *ex praesumptione periculi*.

54. Quod autem *exercitium* attinet cuiuscumque ministerii sacri, Missae, sacramentorum, sacramentalium et generatim ordinis vel ecclesiasticae iurisdictionis (quod exercitium censeri posse videtur significatum a Paschali, dum loquitur de *Episcopo aut abbate, a quo corporali, corporaliter provenit spirituale*), utique verum est *laborem intrinsecum* huiusce exercitii, et ipsum non inseparabiliter annecti rei spirituali: *materialiter* enim potest exerceri, exclusa sacri ministerii intentione, uti fit v. gr. in practica liturgiae schola. Inde tamen NON SEQUITUR licitum esse nec iure divino prohibitum, ut stipendium sustentationis ministro spiritualium detur *in linea iustitiae commutativae* PRAECISE RATIONE LABORIS INTRINSECI, *concomitanter annexi* huic sacro ministerio. Quod facile demonstratur: equidem verum est huiusmodi intrinsecum laborem etiam actu informatum spirituali forma, in se asservare suum valorem pretio temporali aestimabilem, sicut aurum calicis consecratione non desinit esse metallum in se pretiosum; sed hoc NON SUFFICIT ut, quemadmodum aurum calicis consecrati absque simonia iuris divini, per se loquendo vendi possit, ita etiam ille labor intrinsecus ministerii spiritualis absque simonia iuris divini possit constitui terminus in linea iustitiae commutativae rependendus et compensandus aliquo sustenta-

tionis stipendio, pro isto suo valore temporali: necessarium INSUPER est ut hic temporalis eius valor *utilitatem* possit stipendium rependenti afferre *aliam diversam* ab illa spirituali: in hypothesi enim adversa valor temporalis laboris intrinseci operae spiritualis CAUSAM constituit contractus onerosi, *do stipendium ut praestes operam spiritualem;* sed *causa* contractus *onerosi* est *utilitas* non tantum unius contrahentium sed utriusque: ideo, quemadmodum in eo contractu minister operam spiritualem praestans, *utilitatem* stipendii sibi reportat, ita alter in hypothesi adversa, sibi reportare debet non solum *spiritualem utilitatem* quae nequit in linea iustitiae commutativae computari, sed praecise *utilitatem valoris intrinseci illius laboris corporalis.* ATQUI intrinsecus iste labor praeter spiritualem utilitatem, NULLAM ALIAM EX SE affert rependenti stipendium, uti evidentissime constat. Ergo hic labor in suo valore temporali spectatus, nequit ingredi in lineam aequiparatae *utilitatis* contrahentis utriusque, sique in ea linea de facto computetur non computatur nisi ratione solius *utilitatis spiritualis* quam solam affert stipendium rependenti, cum reatu simoniae iuris divini.

55. **Neque ad eam simoniam evitandam sufficit dicere** stipendium dari « propter laborem *mere secundum ipsam rationem laboris* IN ALTERIUS GRATIAM PRAESTITI, *in ordine ad laborantem* a cuius necessaria sustentatione commensuratur; NON PROPTER LABOREM IN ORDINE AD OPUS SPIRITUALE, ET SPIRITUALEM EX EO PROXIMI UTILITATEM, QUOD SIMONIA ESSET » (16). — Hoc dicere, inquam, NON SUFFICIT: ea enim praecisio MENTE quidem et ORE fit, sed OPERE et INITO CONTRACTU obiective destruitur, uti nunc demonstravi, ideoque obiective incurritur simonia iuris divini. Ut idcirco etiam *a parte rei* haec excludatur **necesse omnino est** ut valor termini cum stipendio in contractu aequiparati, nullatenus reponatur in opere operave OBIECTIVE

(16) Cf. Bucceroni, *Instit. Theol. mor.* edit. 5, vol. I, n. 58, *Itemque pro adnexo,* circa medium.

spectata in ullo suo intrinseco valore non solum spirituali sed nec temporali; verum e contra reponi tantummodo potest in valore qui ipsi competit relate AD SUBIECTUM operam praestans; et in valore quidem OMNINO INDEPENDENTI a *natura* operis operaeve praestitae; — hic autem valor est pretium temporaliter aestimabile SERVITUTIS quam SUBIECTUM ILLUD suo naturalis libertatis arbitrio imponit, uti late explicatum est in praecedenti Parergo. Quae servitus aptissime compensatur ad iustitiae commutativae tramitem, stipendio sustentationis proprie dicto.

56. **Neque obiici potest** laborem quem *extrinsecum* vocant, et ipsum *concomitari* opus vel operam supernaturalem sive sacram, ac virtute ministeriali informari cum opera tota cuius pars est accidentalis quidem sed integralis. — **Respondeo** enim discrimen esse praecise in ista *accidentali* tantum concomitantia, dum concomitantia laboris *intrinseci* est toti operae operive *substantialis*: porro illa quidem *accidentalis* SINIT, haec vero *substantialis* NON SINIT valorem *obiectivum* laboris a stipendium rependente aestimari posse pretio temporali, QUIN EO IPSO INCLUDATUR IN HAC AESTIMATIONE ETIAM FORMA SPIRITUALIS. Hoc enim est adeo verum et manifestum ut Ecclesia in ea aestimatione temporali laboris *extrinseci*, ne periculum quidem proximum viderit subesse simoniae; unde tantum abest ut eam prohibuerit, ut potius significaverit multis suis responsis se eam permittere.

57. Demum **nihil iuvat** in praesenti allegare modum loquendi quo passim usus est S. Thomas: « stipendia *deberi operi* ET LABORI » (17) — PRO *ministerio spirituali posse accipi non* QUASI PRETIUM SED QUASI STIPENDIUM LABORIS; (18) — et S. Alphonsus: « Stipendia sustentationis posse

(17) Quodl. 7, Art. 18: « Stipendia non debentur potestati sed operi et labori ».

(18) 2. 2. Q. 100, A. 3, ad 2: « Aliqua temporalia dantur Deum laudantibus in celebratione ecclesiastici officii sive pro vivis sive pro mortuis, non quasi pretium, sed quasi sustentationis stipendium ». — 2. 2. Q. 71, A. 4 ad 3.: « Testes accipiunt non quasi pretium testimonii sed quasi stipendium laboris etc. ».

accipi etiam PRO LABORE INTRINSECO in talibus ministeriis impendendo » (19). — **Respondeo** enim in verbis S. Thomae, *labor* MATERIALITER apponitur, et tota *ratio formalis* compensationis temporalis ex iustitia commutativa debitae, EXCLUSIVE reponitur in habitudine ad SUBIECTUM MINISTRANS, per stipendium sustentationis ipsi rependendum : dico EXCLUSIVE, quia verbis *non quasi pretium... laboris*, Angelicus prorsus excludit a linea iustitiae commutativae OMNEM habitudinem ad laborem, nec solummodo habitudinem PRETII *arithmetice aequiparandi cum merce,* sed etiam PRETII *operae, geometrice computandi per respectum ad conditionem personae operam praestantis.* Et puto quod satis probaverim in Parergo hunc sensum doctrinae non posse non retineri, ideo nec posse sine incohaerentia Sancto Doctori attribui. Ceteroquin, explicatio ab eo data, est solummodo *inchoata* problematis solutio, nequaquam vero plena et explicita, sicuti aperte deducitur ex disquisitionibus a posterioribus scholasticis institutis. Incongruum igitur est in praesenti ex verbo *materialiter tantum* ab Angelico adhibito, trahere ipsum in sensum formalem qui demonstratur a communi doctrina alienus.

58. Idem fere dicendum de S. D. Alphonso, qui in textu relato, se refert ad doctrinam *communem ;* iamvero doctrina *communis* est praecise illa quam explicat Laymann atque ego enucleare ulterius procuravi. Imo si diligenter legantur SALMANTICENSES ex quibus S. Alphonsus profitetur suam sumpsisse doctrinam, ipsi invenientur eamdem viam satis aperte indigitasse quam ulterius prosequi conatus sum. Cfr. eorum Tract. XIX, *De Simonia*, Cap. XXI, n. 19 et praesertim n. 21 ab initio. — Praeterea idem S. Doctor in *Hom. Apostol.* IV, n. 45 docet contrarium thesis adversae. Cf. et MARC., n. 589, 4°.

59. Sententia heic a me confutata, videtur reincidere in eam nonnullorum antiquiorum quam refert et impugnat Suarez, *De simonia*, Cap. 21, n. 2.

---

(19) S. Alph. *Theol. mor.* L. III, n. 55.

Ex hucusque disputatis concludere licet Canonem Pa schalis I, etiamsi critice admittere velimus tamquam au thenticum, propter *rationem formalem* prohibitionis in ec sancitae, iure optimo fuisse a Laymann aliisque parallelo modo allegatum cum communi sententia, a qua in scholis recedere non decet.

Aliter P. Ian. Bucceroni, *Instit. mor.* I, n. 508; — *Sup plement. ann. 1911 editum, ad Instit. et Enchir.* pag. 24, ad n. 508.

CAPUT TERTIUM

Vicissitudines quaestionis apud Doctores critice exponuntur.

60. Ostendendum superest antiquiores DD. qui sua auctoritate effecerunt ut praxis introduceretur non urgendi restitutionem in casu proposito, nullum prorsus protulisse argumentum quod in antecedenti disputatione non fuerit penitus discussum. Quod si demonstravero, causa profecto erit finita quandoquidem indubium est apud omnes, uti expresse docent S. Thomas et S. Alphonsus, rationem intrinsecam convincentem auctoritati praevalere privati Doctoris, quantuscumque ipse reputetur. Equidem contentus esse possem ad illam demonstrationem instituendam, brevi compendio retulisse doctrinam singulorum ; ne tamen videar in causa mea memet inducere testem et totam probandi vim a fide repetere meae interpretationis, consultius erit integros Antiquiorum locos ipsis lectorum oculis subiicere, unde veritas assertionis meae sua evidentia mentem uniuscuiusque percellat. Longior haec via erudito lectori ingrata non erit, quem experientia docuit auctores non raro citari pro una parte, dum, si in suo proprio contextu legantur, deprehenduntur oppositae vel aperte favere, vel, omnibus sedulius perpensis, saltem non adversari.

§ 1. — Aetas Francisco Suarezio anterior. (A. 1509-1593).

J. Mayor; D. Soto; M. Navarrus; E. Sa; Antonius Cordubensis; Petrus Aragon; Henricus Henriquez.

61. Primus qui dubium spectasse referatur, est Ioannes Mayor, e Scotia oriundus, nominalista quidem sed aevo suo theologus omnium aestimatione doctissimus; floruit primo dimidio saeculi XVI et mortuus est septuagenarius,

anno 1540. Porro in eius commentario super l. IV Sent., Parisiis edito, anno 1509 (1), haec leguntur:

« Dubitatur secundo an isti curati male agant capientes sex parvos albos ad faciendum celebrare pro parochiano dantes presbytero inopi quatuor parvos albos, ut interdum fit; distinguo: vel curati distribuunt totam pecuniam quam habent sacerdotibus, puta faciunt celebrare tres Missas pro quinque duodenis ubi parochianus haberet praecise duas et tunc non oportet quod peccent curati: parochiano non faciunt iniuriam nec presbytero: faciunt eum celebrare hora tarda quando non potest habere aliud. Si pro se teneant partem pecuniae datae male agunt: quaeritur QUO TITULO ILLUD TENENT ».

Casus itaque proponitur eleemosynae quae curato offertur a proprio parochiano, intuitu obtinendi applicationem sacrificii, absque determinatione personae litantis; Mayor porro simpliciter respondet curatum male agere si partem acceptae pecuniae sibi retinuerit; rationemque affert defectum tituli, quae praecise est ipsissima radix totius solutionis quae superius fuit evoluta. Si curatus e contra nihil sibi retinuerit de accepta pecunia, non peccat quia tum intentioni satisfacit parochiani qui sine ulteriori determinatione Missae celebrationem postulaverat, tum celebrantibus qui accipiunt tantum singuli quantum exigere possunt, dum quantitas stipendii non fuerat a parochiano donante determinata, sed arbitrio curati relicta.

62. Ioanni Mayor succedit DOMINICUS DE SOTO, paulo suppar, qui insignis fuit theologus Ord. Praedicatorum, discipulus Francisci De Victoria, confessarius Caroli V eiusque in Concilio Tridentino theologus; sexdecim annos Salmanticae docuit theologiam ac anno 1560 vita functus est. Hic autem in opere *De iustitia et iure* (2) quod anno 1556 Salmanticae primum edidit, haec habet:

« Sed et hoc praeterea consultari assolet utrum possit pastor qui curam habet animarum, cuique subinde incumbit huiusmodi (celebrandi Missam) functio, ex pitantiis portiunculam sibi usurpare imminutasque mercenario porrigere. Et revera, si iustum stipendium mercenario relinquatur, non video in hoc apertam iniuriam: quandoquidem pitantiae

(1) Dist. 45, Q. 3, Dub. 2.
(2) In edit. Lugdun. a. 1569, Lib. 9, Quaest. 3, Art. 1.

omnes paroecio conferuntur: qui subinde, ut missarum debitor, quo potuerit honesto stipendio, potest mercenarios, ad eas celebrandum conducere ».

Ioanni Mayor itaque interroganti, ut audivimus, quo titulo curati sibi retinerent partem acceptae pecuniae, Soto respondet asserendo simpliciter factum, « pitantias scilicet *omnes paroecio* conferri ». Ipse idcirco supponit earum donationem titulo generali ministerii *parochialis*, non vero exclusivo et solo titulo applicationis tot missarum sibi obtinendae, a parochiano suo pastori qui curam suae animae habitualiter gerit, fuisse collatam. Qua statuta hypothesi, cardo quaestionis alio transfertur: nam titulum a particulari celebratione et applicatione distinctum, quem Mayor interrogando, ostenderat se non invenire in officio pastorali curati, Soto aperte significat posse, sua sententia, in eo officio fundari supponitque pitantias eo praecise animo a parochiano pastori proprio donari. In contextu enim immediate praecedenti cui ipse praesens dubium expresse connectit (« *Sed et hoc praeterea....* ») sermonem habuerat de obligatione pastoris applicandi Missam pro *suis* parochianis, non vero pro aliis. Subinde quaestionem movet praesentem de parochianis qui pitantias particulares eidem suo pastori conferunt ut particularem sibi obtineant applicationem.

Revera etiam Antonius Diana, accuratissimus sententiarum investigator, uno fere saeculo postea scribens, ita Dominici De Soto mentem intellexit restrictam ad solum parochum. Imo idipsum et Suarez (3) expresse fatetur.

63. His praeiverat MARTINUS AB AZPILCUETA NAVARRUS, praeclarissimus I. U. Doctor, tribus Pontificibus, S. Pio V, Gregorio XIII et Sixto V adeo carus ut « non alio consultore uterentur in iis diiudicandis, quibus conscientia constricti tenemur » (4). Hic in *Manuali* ita scribit:

(3) Suarez, 1, infra citando.

(4) Cfr. Hurter, Nomenclat. Ed. 2, I, col. 125a. Mortuus est Navarrus, annos natus 94, anno 1587. — Manuale Navarri primum hispanice editum Salmanticae, a. 1557, deinde latine, Romae, 1588 et saepius alibi. Secunda edit. aucta prodiderat Pinciae, 1569.

« Peccat mortaliter qui aliquam pecuniam accipit ad per se vel alium dicendas missas, et facit eas ab aliis dici aliquid sibi retinendo de pitantiis pro eis tradendis, secundum Mayor in 4, Dist. 45, q. 3. Contrarium tamen sentit Sot. L. 5, A. 1. de iust. et iure. Nobis vero videtur quod opinio Mayoris procedat, quando qui pecuniam accipit, non habet ullum officium, ob quod lex aut consuetudo aliquod illi stipendium pro eiusmodi cura ex quaque pitantia missae constituit, impensis eorum qui eas dicere debent; quia licet omnes sibi commissas dicere faciat, non tamen quantum debet, eas dicentibus persolvit; et sic iniustitiam committit. Soti vero, quando est persona quae officium praefato modo habet, et etiam quando qui dat pecuniam, dat plus quam ad salaria ordinaria sufficit, cum voluntate SALTEM TACITA, ut quod superest retineat sibi pro cura et industria quam ei rei impendit, arg. C. *Scienti et consentienti non fit iniuria.* De R. I. in Sext. Cuiusmodi videntur esse aliquot parochi et sacristae quibus consueverunt commendari missae dicendae et tradi eleemosynae pro eis dicturorum pitantiis » (5).

64. Sedulo advertatur quomodo Navarrus his verbis evidenter supponat pitantias, ut ait, dari solo et exclusivo titulo celebrandarum missarum, illi primo cui tradita est pecunia: non enim concedit partem earum posse retineri vi alicuius donationis *primi offerentis*, sed tantum ex obligatione per legem, consuetudinemve inducta, ut pars stipendii consueti ab illo retineatur *impensis eorum qui missas dicere debent.* Ipse tamen admittit etiam, quando pecunia data excedit stipendium consuetum, excessum posse interdum a primo accipiente retineri *ex tacita saltem dantis voluntate pro cura et industria quae ei rei impenditur:* ut contingit pro *aliquot* parochis et sacristis. Verum hic est titulus remunerativus mandatarii, nequaquam vero illa primaeva donatio primum accipienti facta totius traditae pecuniae, ad quam postea, uti videbimus, recurrit Suarez. Insuper Navarrus admittit tantum per accidens habere locum quandoque in *aliquot parochis vel sacristis* huiusmodi titulum remuneratorium accepti mandati. Omnibus per-

(5) « S. Cong. in Decreto de celebratione Missarum in resp. ad VII, declarat neque ipsos sacristas posse aliquid retinere ratione expensarum quas subeunt in Missarum celebratione, ni forte aliunde non habeant unde supplere possint talibus expensis; et tunc adhuc celebrandas tot Missas quot praescriptae fuerint ab offerentibus eleemosynas ». Ita Roncaglia, *Theol. Mor.* Tract. XVIII, Quaest. II, cap. VI, q. VIII, r. II.

pensis igitur Navarrus tantum abest ut faveat opinioni quam impugnavi, ut potius eidem omnino refragetur: nam in omni casu quem distinguit, censet stipendium pro missae celebratione datum, non posse absque iniustitia celebranti diminui. Unde recte a Suarezio citatur ut ipsi contrarius, ac minus accurate a S. Alphonso l. c. refertur uti Suarezio favens. Revera et Andreas Signorelli in annotationibus ad Aphorismos Emmanuelis Sa, Antonius Cordubensis, Petrus De Ledesma, Antonius Escobar et Antonius Diana eum recensent ex parte contraria.

65. Navarro coaevus fuit EMMANUEL SA, Lusitanus. Huius vulgatissimi fuerunt *Aphorismi confessariorum*, opella minimae quidem molis sed condensatae doctrinae, qua Doctorum sententiae quadraginta annorum studio collectae, ab auctore brevissime referuntur ad praxim quotidianam. Primae libelli editiones fuerunt Decreto 7 Augusti 1603, prohibitae; sed ab anno 1608 et deinceps multae prodierunt correctae a Magistro S. Palatii, atque ab anno 1611, annotationibus auctae praesertim Andreae Victorelli, Theologi Bassanensis. Porro in editione Veneta anni 1599 (6), ex damnatis, sub voce *Missa*, leguntur sequentia verba:

« Cui datur certa summa pecuniae pro missis a se dicendis, potest alios pro minori pretio conducere qui adiuvent, et reliquum sibi retinere; secus est si accepisset, ut curaret dicendas per alios ». — Deinde in editione correcta a Magistro S. P. (Rom. 1624) eadem identica leguntur sub eadem rubrica, n. 45, sed subnectitur sequens Andreae Victorelli annotatio: « Cui ita Sot. l. 9, Q. 3, A. 1; Suar. D. 86, Sect. 3 in fin. Contrarium placet Mayor, l. 4, D. 45, Q. 3, d. 2; Navarr. C. 25, n. 91. Id non est consulendum. Suarez l. c. ».

(6) Cum Aphorismi primum editi fuerint Venetiis anno 1595 (Lege SOMMERVOGEL, VII, 346), probabile est editionem Venetam anni 1599 quam prae manibus habeo, mere materialem reproductionem esse illius primae: nam Auctor qui vita cessit 30 decembris 1596, vix potuisset novis curis expolire editionem unum ante annum typis mandatam. Anno 1597 Dominicus Bannez opus S. Congregationi denuntiavit; unde Magister S. Palatii nonnullas propositiones, tamquam minus consentaneas communi doctrinae, iussit expungi vel emendari. Libellus non recensetur amplius in nova Indicis editione a Leone XIII reformata.

Opinio recensita Magistro S. P. visa non fuerat expungenda, quamvis terminis generalioribus exprimeretur quam illis quibus eam expresserat Sotus; forte respectu habito ad Suarez qui eo tempore suam sententiam iam exprompserat. Quidquid sit de iudicio Magistri S. P. hic Emmanuelis Sa aphorismus paulo diligentiori trutinae subiiciendus nobis est.

Primo quidem adverto Sa loqui non de solo curato, quemadmodum Sotus, sed de quocumque sacerdote; ipse insuper silentio praeterit hypothesim a Navarro memoratam in qua pars accepti primitus stipendii titulo remuneratorio refundenda est in illum primum cui cura demandata fuerat inveniendi celebrantem: haec enim obligatio si quando adest, oculis insilit neque indigebat recenseri in huiusmodi *sententiarum DD.* summula; verum respicitur simpliciter ius quod competere potest in acceptum stipendium, illi primo sacerdoti: ac distinguitur duplex huius acceptationis titulus, alter simplicis mandati, alter donationis cum onere ut Missas celebret ipse donatarius. Cum autem donatarius supponatur esse quilibet sacerdos, *causa* donationis illa sola spectatur a Sa, quae cuivis sacerdoti competere potest, adiutorium sustentationi praebendum atque onus Missae ab eo susceptum. — Sententiae terminis ita explicatis, ut sacerdos acceptans valeat absque iniustitia minori pretio aliis celebrantibus onus imponere, profecto *causa* donationis debuisset esse talis ut sineret partem accepti sub ipsa stipendii retineri ab acceptante etiamsi non ipse Missarum onus impleret; debuisset nempe quoad partem donati stipendii, esse libera a *modo illo ipso* quem Sa expresse determinat, « *pro Missis a se dicendis* »; quae *causa* collati stipendii reincidit in alteram hypothesim ab ipso Sa factam, « *ut curaret dicendas per alios* », vel in hypothesim ab eodem omissam, sive *curati,* sive *remunerandi* mandatarii. Igitur iure meritoque huic Auctoris aphorismo respondemus ea interrogatione qua Ioannes Mayor a suis curatis requirebat « *quo titulo illud tenent* ». — Porro facile coniectatur responsio quam Em-

manuel Sa sibi apparatam nobis protulisset: adi Suarez, Doctorem nostrum eximium; tibi ipse suam curet sententiam demonstrare.

66. Antequam tamen Suarez audiamus, iuvat referre duos insignes Doctores, ANTONIUM CORDUBENSEM ex Ord. Min. et PETRUM ARAGON ex Ord. S. Aug., qui labente eodem saeculo XVI, totius quaestionis summam ac decidendi rationem valde perspicue retulerant. Et Cordubensis in *Quaestionibus theologicis* quae Toleti, anno 1578 lucem primum viderunt, L. I, Q. IV, Dub. V, sic habet:

« Dubitatur utrum sit tutus in conscientia et liber a restitutione sacerdos qui recipit abundantia stipendia gratis data pro Missis celebrandis, puta unum regale pro qualibet Missa: et ipse eas aliis sacerdotibus commendat pro diminuto stipendio consueto, puta pro dimidio regali aut pro viginti nummis aut parum plus. — Respondeo: est duplex opinio. 1, Mag. Soto.... quod sic si talis sacerdos est curatus aut habens curam populi illius, quia, cum ut supponitur, iustum stipendium ipse aliis sacerdotibus pro illis Missis persolvat: nam nulli facit iniuriam si ipse reliquum accipiat pro cura et onere quod subit ex officio pastorali: cui creditum est ut quo potuerit honesto stipendio faciat illas Missas pro suis subditis celebrari. Sacerdos autem non habens curam illius populi, non est tutus, neque liber a restitutione: nisi totum stipendium aliis det pro illis Missis celebrandis, quia cum non habeat curam, non est ei creditum ut curam habenti. — Aliorum opinio est quod nec habens curam nec non habens, est tutus: nisi quando ex lege vel consuetudine, vel ex voluntate saltem tacita commendantium ipsas Missas dantiumque maiora solito stipendia, taxatum vel ordinatum est aliquod praemium vel aliqua pars illorum determinata vel indeterminata pro ipso habente curam faciendi illas Missas pro suo debito alias stipendio celebrari. Et hoc modo limitata illa prior opinio Magistri Soto, est vera, alias non. Ut ait Navarr.... — Quod et probatur dupliciter: primo quia ille curatus pro sua cura in hoc et aliis pertinentibus ad salutem subditorum iam alias sufficiens habet stipendium in decimis, primitiis vel aliis particularibus stipendiis sibi taxatis pro his vel illis actibus, modo sit principalis curatus, modo substitutus, sive vicarius, cui ipse curatus decenti stipendio providere tenetur, ut vice eius populo serviat sicut ille servire tenetur. Quod si iste substitutus sic acceptavit: ita nihil amplius pro suo ministerio debito accipere potest, sicut nec curatus principalis, secundum omnes DD. ut tangit B. Thom. 2, 2, q. 100, a. 3. Nunc autem pro hac cura seu onere particulari quod ipse libenter subit, nihil est datum, neque permissum ab illo qui ei illas Missas commendavit: qui et solum pro stipendio sustentationis id dedit celebranti. Ergo NULLO IUSTO TITULO POTEST DE ILLO STIPENDIO SIBI QUIDQUAM ACCIPERE, QUARE TENETUR

TOTUM DARE NISI ILLE OMNINO LIBERALITER REMISERIT, ID QUOD DE NULLO PRAESUMITUR ».

« Neque valet dicere, ut ubi supra, ait Soto, quod TACITE videtur datum pro sua cura ut faciat illas Missas celebrare: QUIA HOC EST DIVINARE ET UBI DE VOLUNTATE DANTIS NULLA EST PROBABILIS CERTITUDO, STANDUM EST EIUS VERBIS EXPRESSIS QUOD SCILICET PRO QUALIBET MISSA TANTUM STIPENDIUM ASSIGNAVIT, UTIQUE NONNISI EAM CELEBRANTI, UT EST CONSUETUDO GENERALIS ASSIGNANDI STIPENDIA PRO QUALIBET MISSA NONNISI EAM CELEBRANTI ».

Ecce itaque Antonius Cordub. qui plus quam viginti annis ante Suarezium testatur interpretationem usualem quam dedi n. 32 sq., intentionis dantis Missam manualem, esse consuetudine generali receptam; unde argumento meo omnino subscribit. Similiter, sin apertius, alteroque addito ab absurdis argumento, Petrus Aragon.

67. Huius opus *in 2, 2, S. Thom.* primum editum est anno 1585, Salmanticae; porro in quaest. 85, art. 3 vers. finem, Dub. ult., proposita eadem quaestione, postquam, sicut Cordubensis, Soti et Navarri retulit solutionem, de Navarri sententia prosequitur dicens:

« Quae sententia procul dubio est vera atque tenenda. Et probatur: curatus ille pro sua diligentia atque cura, in hoc et in aliis ad salutem subditorum pertinentibus praestanda, habet iam alias sufficiens stipendium in decimis et in primitiis et in aliis particularibus oblationibus pro his vel illis actibus taxatis; et pro ea cura particulari seu onere quod ipse libenter subit, nihil est datum neque promissum ab eo qui ei Missas commendavit qui et solum pro stipendio sustentationis id dedit celebranti: ERGO NULLO IUSTO TITULO POTEST DE ILLO STIPENDIO QUIDQUAM SIBI ACCIPERE NISI ALTERO OMNINO LIBERALITER REMITTENTE, QUOD DE NULLO EST PRAESUMENDUM, ETIAMSI DICAT SE LIBERE DONARE. Dat enim non daturus, si aliter stipendium habere posset, ut contingit in solvente usuras; atque ex consequenti dat non plene voluntarie, quod satis est ut ipse curatus peccet accipiens et ad restitutionem teneatur. Et si hoc est verum de curatis, quid erit dicendum de aliis sacerdotibus, nisi quod peccant gravissime et ad restitutionem tenentur. Si enim is contractus honestus esset, liceret quidem unicuique ditari innumeras Missas undique congregando, pro quibus abundantia stipendia sunt assignata, et faciendo eas celebrari pro diminutis stipendiis, residuumque sibi reservando. Quod quam turpe sit lucrum et scandalosum, manifestamque iniustitiam continens, nullus est qui ambigat ».

68. Tandem Antonio Cordubensi et Petro Aragon non multo posterior fuit HENRICUS HENRIQUEZ S. I. Theologiae

Professor in Academia Salmanticensi, quem Ioannes Doujat non dubitavit Paulo Laymann aequiparare in re morali et canonica. Hic porro in *Summa Theologiae moralis* anno 1591 Salmanticae primum edita et subinde Venetiis anno 1596, Lib. IX, De vero Missae sacrif., Cap. 22, n. 8 eamdem ac illi duo doctrinam tradit his verbis:

« Si parochus aut vicarius Episcopi ex statuto vel consuetudine recipit curam distribuendi omnes Missas (quod valde expedit ob periculum differendi illarum oblationem) potest de pitantiis designatis, praesertim si pinguiores solito sint, parum aliquid ex consuetudine sibi retinere in stipendium utilis officii. Ut vero capiat multum, non est ullus iustus titulus, quia nec clerici ab eo designati donant sponte parocho, nec est praesumpta voluntas dantis stipem pinguem, ut fraudetur maiori fructu, quem ex Missa haberet pro quantitate eleemosynae, quae ut maior devotio, ita maior contributio, est melior dispositio, ut fructus sacrificii detur uberior ex operato. — Cappellanus cui respondet pingue stipendium pro paucis Missis, si impeditus sit aut minus aptus celebrare, satisfacit si per alium Missae fiant, data consueta stipe: reliquum sibi retinet titulo beneficii, quod domino fructificat: dummodo occurrat periculo ne clericus aut regularis, videns tenues esse pitantias, una Missa multis commendatis satisfaciat ».

Sic ipse. Partibus autem doctrinae singulis singulae auctoritates in margine accurate allegantur; nec alii citantur, (praeter Summas antiquiores, Sylvestrinam scilicet et Angelicam de dilatione intra parenthesim commemorata), nisi Soto, Navarrus, Mayor et Cordubensis. Revera Suarezii commentarium in 3 Part. S. Thomae *de Sacram.*, typis nondum fuerat divulgatum. Manifestum igitur est neque Henriquez adversae sententiae annuisse, cum parocho vel Episcopi vicario *nullum alium iustum titulum* agnoscat sibi quidquam ex Missarum stipendiis retinendi, praeter mercedem *consuetudine probatam* muneris distribuendi *omnes* Missas, quod ipsis fuerit demandatum; atque idipsum ex iisdem principiis demonstret contrariae voluntatis tam offerentis stipem pinguiorem quam Missam celebrantis, quibus principiis tota nostra probatio fundatur.

Suarezii sententia igitur ab his tribus Doctoribus, iam plene confutata dici potest, priusquam proponeretur.

§ 2. — Suarezii sententia exponitur et discutitur.

69. Franciscus Suarez edidit primum volumen commentarii in Quaestiones de sacramentis (P. III, a Quaest. LX), Salmanticae anno 1598, quod deinde Venetiis, anno 1605 iterum prodiit ab ipso auctore primum multis in locis emendatum. Ibi porro, in annexo tractatu *De Missae sacrificio*, Disp. 86, Sect. III, n. 7, ita disserit Eximius Doctor:

« Hac vero occasione hic obiter quaeri solet, an parochus qui multa stipendia Missarum congregat eaque postea inter sacerdotes stipendiarios distribuit, possit licite aliquam partem sibi retinere, vel ratione sollicitudinis et laboris, vel certe quia stipendium sibi datum est pingue vel summum intra latitudinem aequalis stipendii, quod autem ipse dat aliis, est etiam iustum, magis tamen moderatum, vel etiam minimum. Quidam negant hoc licere, Mayor in 4, Dist. 45, quaest. 3, dub. 2; Navarr., cap. 25, n. 98; Cordub. dicta quaest. 4, dub. 1; quia voluntas dantis stipendium est ut totum illud detur sacerdoti pro se Missam dicenti; et ideo alius non habet iustum titulum partem aliquam usurpandi. Contrarium tenet Soto, dicto lib. 9, *De iustitia,* quaest. 3, art. 1, ubi peculiariter loquitur de parochis qui in sua parochia hoc onus suscipiunt, ratione cuius possunt aliquid accipere. Ego vero censeo intrinsece non esse hoc contra iustitiam, non solum ratione illius oneris, sed etiam quia nulli fit iniuria in illa distributione, seu quasi commutatione; suppono enim dari stipendiario sacerdoti iustum stipendium in omni rigore, nam alioqui fieret illi iniuria; hoc autem servato, nulla fit, etiam si intra latitudinem iusti minimum detur; neque etiam fit iniuria ei qui dedit stipendium, quia missa eiusdem valoris pro illo offertur; nulli ergo fit iniuria. Ratio autem a priori est, quia parochus vel sacerdos, qui primo accipit stipendium, statim acquirit dominium illius sub obligatione dicendi missam alteri, quam potest per se vel alium implere; *ergo, si postea satisfaciat integre illi oblationi, nulli facit iniuriam, etiam si minori stipendio dato id assequatur, quia iam non se gerit ut purus oeconomus,* sed ut dominus accepti stipendii, *ad quem spectat obligationem illam implere, ut commode potuerit.* Unde potest exemplis moralibus hoc declarari. Nam si dominus committat famulo tantam pecuniae quantitatem, ut triticum talis qualitatis tanti emat, quamvis famulus minori pretio illud postea comparet, non potest sibi usurpare residuam pecuniae quantitatem, quia non erat dominus illius; unde non habet titulum ad retinendam illam. Si vero famulus statim fieret dominus illius pecuniae ex consensu dantis, sub obligatione dandi triticum talis

qualitatis et conditionis, quamvis postea minori pretio emeret, reliquam pecuniam retinere posset. In praesenti igitur parochus non se gerit priori, sed hoc posteriori modo; ergo in rigore non est iniustus, eam partem retinendo. Aliud exemplum esse potest : si quis, anticipata pecuniae receptione, vendat triticum postea reddendum, illudque deinceps minori pretio emat, satisfaciet priori emptori, integram tritici quantitatem illi reddens. Potest vero differentia aliqua in his exemplis assignari, quia in eis, sicut potest quis retinere residuam pecuniae partem, ita, si opus esset aliquid de suo adiicere, ut obligationem impleret, teneretur id facere; et ita potest interdum accidere : at vero in praesenti nullum est periculum, quod oporteat interdum parochum plus stipendii dare, quam acceperit. Dico tamen hoc esse accidentarium. Nam ex vi obligationis, vel per seipsum debet satisfacere obligationi vel certe dare totum stipendium necessarium ut per alium satisfaciat. Hoc denique patet quotidiano exemplo habentium capellanias, quibus satisfaciunt, per alios Missas dicendo, dando eis stipendia iusta, quamvis ipsi multo uberiora recipiant, et apud se reliquam partem retineant. Sed, quamquam in rigore haec vera sint, nihilominus haec veluti commutatio habet speciem turpis lucri; et ideo consulenda non est, potius corrigenda, quoad fieri possit; quod si non possit, erit tolerenda ».

70. Suarez itaque probe intellexit, uti pronum erat, necessitatem alicuius legitimi *tituli* quo niti posset sive parochus, sive quivis alius sacerdos, ut partem stipendii primitus accepti sibi retineret: nam et Mayorem ipse refert ideo dissensisse quia existimabat parochum *non habere iustum titulum partem aliquam usurpandi*, et Soto e contra consensisse ut parochus (de quo solo hic loquitur) possit licite aliquam partem sibi retinere, quia « hoc onus in sua parochia suscipit, *ratione cuius potest aliquid suscipere* ». — Verum idem Suarez ulterius procedit et, concessa Dominici De Soto sententia relate ad parochum onerisque titulum quo niti possit, alium quaerit titulum quo iniustitia retentionis excludatur: hunc autem reponit in sola stipendii *donatione pro missa celebranda ;* quem ideo asserit cuique simplici *sacerdoti* competere. Reapse titulus cui ipse recurrit, est titulus quo « sacerdos qui primo accipit stipendium, statim acquirit dominium illius sub obligatione dicendi Missam alteri »; propter quem ille « iam non se gerit ut pure oeconomus sed ut dominus accepti stipendii »; — iamvero huiusmodi nequit in casu esse nisi donatio pro

Missa dicenda. — Praeterea iuxta Suarez, haec donatio non est liberalis et absoluta tantum sed donatio *sub modo*: nam dominium acquiritur a primo acceptante « sub obligatione dicendi Missam alteri »; quam obligationem idem Suarez, in prima sectione huius disputationis 86ae n. 5, explicat, esse ex stricta *iustitia, sub conditione onerosa utrimque acceptata*, quae *sine pacto intelligi nequit;* « nam ille dat ut hic faciat; hic vero facit quia recipit seu ut recipiat stipendium.... sine huiusmodi pacto quod intercedat inter sacrificantem et stipendia dantem, nulla ratione intelligi posset quo pacto oriatur aut oriri possit obligatio ex iustitia » (*Ibid.*, n. 4, in fine). Verum huiusmodi obligatio onerosa, ex ipsa hypothesi quam Suarez inducit, talis est ut acceptans possit eam « per se vel alium implere »; et paulo infra, « ut commode potuerit ».

71. Iam age, praesupposita hac donatione, primus ille sacerdos acceptans, quando onus susceptum per alium adimplet, novum contractum cum eo init nomine proprio neutiquam vero nomine primi donantis: utitur enim pecunia iam facta *sua*. Et quidem hanc pecuniam fecerat suam non per solam mixtionem cum propriis in maiori quantitate a se habitis, suscepta inde obligatione *personali* totidem tradendi nummos alteri qui Missam applicaret, sed pecuniam fecerat suam per acceptatam donationem sub illo modo oneroso. — Cardo idcirco totius quaestionis in eo est ut demonstretur obligationem personalem onere isto impositam non referri ad *totum* stipendium singularum Missarum quod *reapse* fuit a primo donante collatum, sed ad partem eius tantum quae sive lege sive consuetudine sufficeret « in rigore iustitiae », ut ait Suarez, ad Missam obtinendam.

Atqui non potest haec oneris impositi obligatio referri ad partem tantum stipendii reapse collati, nisi PARS EIUS RETENTA POSSIT SUPPONI DONATA VEL TITULO REMUNERATORIO COMMISSIONI ADIMPLETAE, VEL TITULO OMNINO LIBERALIS DONATIONIS. Atqui neutrum dici potest: ergo.

72. Sane primus ille titulus remunerationis adimpletae commissionis, a Suarez ipso expresse excluditur, vel melius, praescinditur a tota ipsius demonstratione: « Ego vero, ait, censeo intrinsece hoc non esse contra iustitiam, non solum ratione illius oneris (ad quod compensandum Soto dixerat parochos vel sacristas posse aliquid retinere), sed *etiam* quia .... » et prosequitur suam evolvendo probationem in qua solum prioris translationis dominii titulum profert, vi donationis. — Sed donatio quam supponit Suarez, nequaquam est donatio liberalis sed donatio « sub obligatione dicendi Missam », sub « conditione onerosa utrinque acceptata »; est donatio qua « ille dat ut hic faciat ». — Facit utique *per se vel per alium:* sed disiunctiva haec quae exprimitur, aequivalet duplici oneri disiunctive imposito: do stipendium pro missa mihi celebranda, ut tu Missam celebres; VEL: do stipendium pro Missa mihi celebranda ut Missa celebretur ab alio; duplex scilicet ex mente donantis habetur contractus *do ut facias*, atque alterutrum eligere relinquitur arbitrio donatarii; adeo ut, si hic alter eligatur, donatio intelligenda sit non absoluta, sed sub modo quo pecunia donata fuerit *pro Missa*, sicut in priori parte disiunctivae; non vero intelligi potest gratuito prorsus et liberaliter facta sive quoad totum stipendium sive quoad partem eius: liberalis enim donatio praesumi nequit sed probari; probatio autem non continetur in solo illo arbitrio relicto donatario, implendi onus, *vel per se vel per alium*, quoties pecunia expresse data est solo intuitu missae obtinendae. — Paucis: *causa* donationis mutatur a donatario quin probare potuerit facultatem eam mutandi fuisse sibi a donante concessam.

73. Hic defectus in ratiocinio ab Eximio Doctore proposito, non minus aperte se prodit in exemplis quibus ipsemet suam mentem illustrat: concedit enim famulum, postquam minori pretio triticum comparaverit, non posse sibi usurpare residuam pecuniae quantitatem, propter duplicem rationem, primam quam ipse exprimit, « quia non erat dominus illius; unde non habet titulum ad retinendam

eam » ; alteram quam in exempli propositione includit : dominus nempe commisit famulo tantam pecuniae quantitatem, ut triticum talis qualitatis, TANTI emeret : si nimirum pretium mercis emendae a domino fuerit praestitutum, eo ipso excessus ideo a Suarez dicitur non transiisse in dominium famuli quia debet praesumi traditus alio titulo, expensarum scilicet pro negotio subeundarum, *nisi probatione certe constiterit dominum voluisse liberali et speciali remuneratione diligentiam servi stimulare.* Ideo in altero casu quem ipse ponit atque collato Missarum stipendio aequiparat, expresse hypothesim inducit quod « famulus statim fieret dominus illius pecuniae EX CONSENSU DANTIS ». A pari ergo in casu nostro, eo ipso quod stipendium fuerit datum solo intuitu Missarum, nec constat de donatione remunerativa aut pure liberali, tota accepta pecunia, nedum pars eius tantum, sacerdoti onus celebrationis adimplenti tradenda est, quia ipse solus totam atque unicam in se *causam* verificat collatae donationis. Propterea ipsum exemplum a Suarez allatum in declarationem suae conclusionis, ostendit eam aliter ex praemissis non proflui nisi praesupponatur antecessisse donationem *absolutam* totius collatae stipis; et tunc libenter conclusioni Doctoris eximii subscribimus.

74. Alterum exemplum de tritico tradendo epocha posteriori ea in qua pretium emptae mercis fuerat traditum, nequit traditioni stipendii missarum comparari, quia in illo agitur de merce cuius valor variari potest processu temporis unde contractus ille aleatorius est; contractus vero collati stipendii pro missa nequaquam est aleatorius : porro si primus quia aleatorius, suapte natura includit alias conventiones ex quibus consequitur aliqua lucrosa sive pretii sive valoris mercis variatio; in altero haec variatio valoris stipendii admitti nequit nisi de expressa primi donantis voluntate eam permittendi, omnino constiterit (7).

---

(7) Petrus de Ledesma O. Pr. (mort. 1616) ita respondet huic comparationi a Suarezio adhibitae : « Ad ultimum respondeo magnam esse dispa-

Ultimum tandem quod animadvertit Suarez, de habentibus capellanias, evidenter confirmat conclusionem meam, cum capellania conferatur solo titulo *habitualis* (8) sustentationis ideoque eo fine ut capellanus *principaliter* ex eius fructibus sustentetur et *secundarie* onus Missarum impleri procuret: dum e contra in hypothesi nostra onus Missarum *non subordinatur* fini habitualis sustentationis celebrantis, sed potius inverso intentionis ordine, adiutorium sustentationis tribuitur veluti tamquam *medium* quo, inita conventione, obtinetur *finis principalis* Missae applicatae.

75. Quacumque igitur ex parte ad trutinam subiiciatur haec particularis eximii Doctoris demonstratio, nihil in medium adducit unde rationes in cap. II, § II et III, allatae, possint ullatenus impeti. Utique onus impositum potest a primo acceptante pecuniam, in alium transferri, dummodo tamen transferatur cum toto annexo emolumento: ex ipso enim contractu non solum onus impositum est, sed pro onere et donatur stipendium et quidem pro onere solo: ergo iustitia contractu inducta exigit ut qui onus implet, emolumentum totum et ipse percipiat. Porro Eximius D. ipsemet excludit alium titulum, praeter Missae celebrationem, fundare stipendii donationem.

Facile nunc est, unica distinctione divellere fundamentum totius aedificii sententiae adversae. « Sacerdos qui primo

---

ritatem inter utrumque: in casu enim argumenti (a Suarez propositi) est periculum ex utraque parte, nam sicut ipse triticum minori pretio comparavit, ita etiam ad illud minori pretio comparandum poterat obligari, hic autem nullum prorsus est periculum nec minimum periculi vestigium apparet ». *Theol. moralis de sacramentis.* Colon. Agripp. 1630. *De Euchar.* cap. 16, *Conclus. decima tertia,* circ. finem.

(8) Haec est ratio per se manifesta cui Card. De Lugo, *De Euchar.* disp. 21, n. 30, alludit, et Domic. Viva satis expresse se refert, in Prop. 9, Alexandri VII, n. IX: « Pingues dantur reditus (beneficiario vel etiam Capellano) ut alacrius quotidie altari deserviant, ac propter alia onera subeunda, puta in ornatu altaris ». Imo apertius S. Congr. Conc. per decretum « quod egomet observavi, scribit S. Alphons. l. VI, n. 321, *Idem licet,* ubi dictum fuit id licere, modo pro capellania certi reditus sint annuatim constituti et perpetuo capellano assignati; secus vero, si huiusmodi capellano pro qualibet Missa celebranda certa detur eleemosyna ».

accipit stipendium, statim acquirit dominium illius sub obligatione dicendi Missam alteri, quam potest per se vel alium implere ». — *Distinguo* assertum: sacerdos qui primo accipit stipendium *donatum vel partim vel totum ex causa quae exclusive non sit sola Missae applicatio*, statim acquirit dominium illius, etc. *Transmitto assertum*, quia nempe iam sumus in alia hypothesi quam idem Suarez ex contextu ostendit velle removere. — Sacerdos qui primo accipit stipendium *donatum totum exclusivo intuitu Missae applicandae*, statim acquirit dominium illius cum onere eam applicandi vel per se vel per alium: *subdistinguo:* atque eo ipso cum onere tradendi celebranti totum etiam stipendium, *concedo assertum:* — cum facultate sibi retinendi partem eius, *peto probationem* quam nullus hucusque potuit afferre.

Num monere Lectorem indigeo me haec omnia discussisse, salva summa illa reverentia qua cum tota Societate Iesu, matre nostra, iugiter prosecutus sum Doctorem eximium, decus Societatis eiusdem, imo totius Theologiae scholasticae fulgens usque hodie in Ecclesia lumen? Ceteroquin, uti ab initio adverti, ipse qui non minus quam doctrina, sanctitate et humilitate excelluit, si hodie vivens, discipulum vel ultimum, pro veritate disceptantem audiret, neglecta verborum audacia, veritatem utcumque propositam eo exultantiori susciperet animo, quo minoris aestimanda foret disserentis auctoritas.

§ 3. — Auctorum Suarezio supparum sententiae explicantur (1622-1649).

V. Filliucci; I. B. Bernardin. Possevinus; A. Tanner; M. Bonacina; Gabriel Vasquez; G. Hurtado; I. De Dicastillo; F. Castropalao; A. Barbosa; V. Reginaldus; E. Rodriguez.

76. Francisco Suarez mox adstipulatus est Vincentius Filliucci Senensis, e S. I. Hic decennio, quaestiones de moribus tractavit in Collegio Romano et Poenitentiarius fuit ad S. Petri; vita functus 5 aprilis 1622, eodem anno quo Lugduni, *Quaestiones* eius *morales* primum editae sunt. In praefatione sui operis ipse profitetur quod « in sacramentis,

Francisci Suarez doctrinam fere secutus sum, visa quippe est valde solida, pia, prudens et semper innixa iuribus, rationibus gravioribus DD. accurate perpensis ». Reapse, Tract. V, n. 186, ad Soto et Suarez appellans, eorum sententiae in quaestione praesenti, subscribit favore parochi, eamdemque ratione confirmat ipsissima qua usus est Suarez, imo iisdem fere adhibitis verbis. N. 187 admittit praxim huiusmodi habere speciem quamdam turpis lucri ideoque non esse consulendam sed potius corrigendam, quantum fieri possit. Deinde de Navarro subiungit quod « ratio qua probat id esse contra iustitiam: quia scilicet voluntas dantis stipendium est, ut totum illud detur sacerdoti dicenti Missam, ad summum probat in eo qui tamquam oeconomus ea stipendia acciperet, non autem in eo qui tamquam dominus accipit, ut diximus ».

Qua profecto ultima animadversione Fillíucci seipsum confixit, nam si, uti paulo superius dixerat, supponit parochum ea sola ratione « quia est pingue stipendium vel quia est summum intra latitudinem iusti, aliquid sibi retinere »: eo ipso supponit etiam cum Suarez, causam *exclusivam* donationis primaevae abundantioris fuisse subsidium quidem sustentationis sed cum *onere celebrationis* ideoque excludi donationem omnino liberalem vel etiam remuneratoriam puri oeconomi. Quo autem implicite supposito, sponte sequitur quod si parochus ipse onus non implet, totum emolumentum pro eo solo traditum, debeat celebranti transferre, vel ad instar oeconomi donatione nomine primi donantis facta, vel ad instar quidem domini cui tamen *personale* onus incumbit, *totum* quod eo *exclusivo* titulo acceperat, transfundendi in celebrantem. Quemadmodum igitur Suarez, ita et Fillíucci minus cohaerenter ratiocinatus est.

77. A S. Alphonso et ab aliis saeculi XVII auctoribus, favore sententiae adversae, citatur etiam POSSEVINUS. Hic nequaquam est Antonius Possevinus, feracissimus ille S. I. scriptor, et ipse eadem hac aetate notissimus atque anno 1611

vita functus (9); sed huius nepos ex fratre Ioanne Baptista, IOANNES BAPTISTA BERNARDINUS POSSEVINUS, Mantuanus, qui addictus fuit servitio S. Caroli Borromaei, atque ut testis ocularis, vitam eius conscripsit. Porro vulgatissima fuit ab initio saeculi XVII huius viri opella, eiusdem fere molis ac *Aphorismi* Emmanuelis Sà, *Praxis curae pastoralis* quam idem Andreas Victorelli, *Aphorismorum* adnotator, ratione eadem locupletavit. Huius auctoris mentio locum opportunum heic obtinet quippe quem, a Vincentio Filliucci neglectum, invenio iam allegatum a Martino Bonacina atque ab aliis coaevis Doctoribus. Porro in cap. II, n. 19 supradicti opusculi Colon. 1619, haec leguntur:

« Quaeritur an curatus, qui habet multas pitantias distribuendas pro Missis, possit de illis diminutis, aliquid sibi retinere? Resp. Sotum *De Iust.* L. 9, q. 3, art. 1; Navarr. C. 25, n. 91, not. 24, concedere, dummodo iustum stipendium detur mercenario. Istud autem tunc est, cum datur secundum consuetudinem loci. Suarez, tom. 3, Q. 83, Disp. 86, Sect. 2. At ego consulerem abstinendum, quia habet nescio quid negotiationis, vel certe sordidatis: excusarem tamen, si ita esset consuetudo SCITA ET TOLERATA, ut potest in aliquibus ecclesiis, in quibus sit magnus concursus Missarum dicendarum, ut evenit ubi sunt aliquae Sanctorum imagines miraculosae, vel ubi propter populi devotionem magnus est concursus ».

His tamen I. B. Possevinus radicem quaestionis nostrae non attingit; imo facilem suspicionem inducit se Suarezii rationi non simpliciter adhaesisse, cum non ipsi sed Navarro et Soto solis assentiat et quidem tantummodo favore curati et loci, populi concursu celebratissimi, idque sub conditione notoriae et toleratae consuetudinis: quibus in adiunctis legitime posset praesumi consensus offerentium stipendia, ut pars eorum sive in cultus sanctuarii augmentum sive in oblationem curato personaliter factam ratione muneris, detraheretur; imo eodem titulo praesumi posset

(9) Ita legitur in epistola quam Antonius Possevinus direxit R. Patri Iacobo Laynez Praeposito Generali S. I., Fossano, sub die 17 Aprilis 1561: « Domenica che fu l' ottava di Pascha (13 April.) piacque a Dio che io indegnissimo celebrassi la prima Messa ». Idem vita functus est Ferrariae, 26 Februarii 1611, annos natus 78.

sacerdotum consensus quibus stipendium diminueretur. Haec sane tempore illo tuto poterant edoceri dum decreta Urbaniana normam observandam ex praesumptione periculi abusus, nondum fuerant promulgata. Sed eadem, inquam, omnino adiaphora sunt a Suarezii sententia, uti per se liquet; nec alia ratione hic in praesenti a Possevino expresse allegatur, nisi in determinandum e loci consuetudine iustam stipendii ordinarii quantitatem. I. B. Possevinus itaque absque re pro adversa sententia allegatur.

78. Melius forte citari potuisset pro Suarezii parte, alius auctor eadem aetate celebratissimus, ADAMUS TANNER S. I. Hic multos annos Ingolstadii et alibi, theologiam summa laude docuit et vita functus est dum Oenipontem suam patriam regrediebatur, anno 1632. Porro in *Universa theologia scholastica*, quam edidit Ingolstadii, anno 1626 et 1627, Tom. IV, Disp. V, *De Euch. et Missa*, Quaest. X, n. 82, haec leguntur:

« Quaeritur quarto utrum ille cui pinguius stipendium pro Missis celebrandis collatum est, iuste ac licite possit minori stipendio, quamvis iusto, alium conducere qui celebret. — Respondeo primo si is DOMINIUM ABSOLUTUM PECUNIAE OBLATAE NON ACQUISIVIT, sed solum hac conditione pecuniam accepit ut ipse velut oeconomus seu procurator pro eadem constituat seu procuret aliquem qui Missam celebret, eo casu quo ipse non possit. Ita recte Sa.... et eodem forte sensu id absolute negant Mayor.... Navarr.... et Cord.... etsi possit ratione suscepti oneris aliunde compensationem aliquam exigere, ut per se patet. – Respondetur secundo, posse, si ipse factus sit ABSOLUTUS DOMINUS ILLIUS PECUNIAE, uti quidem COMMUNITER FIERI VIDETUR, recepta simul in se obligatione aut celebrandi in propria persona, aut constituendi alium suo loco, pro iusto videlicet pretio. Ita Sotus... Suarez.... et Sa.... et significat Henriquez.... Ratio est quia is cui Missa commendata est, persoluto LIBERALI STIPENDIO, EX IPSIUS OFFERENTIS MENTE AD ALIUD NON TENETUR QUAM UT VEL PER SE, VEL PER ALIUM, quem ipse teneatur iusta pitantia numerata substituere, Missam celebret; atque adeo nullam facit iniuriam neque petenti Missam, cum satisfaciat obligationi quae ab eo sibi imposita est; neque substituto sacerdoti, cum ei iustum stipendium persolvat. Et confirmatur. Potest enim hic sacerdos alium rogare, ut pro se absque ulla stipe satisfaciat: ergo etiam potest iusta stipe persoluta, alium inducere, ad idem onus exsolvendum. Etc. ».

Tanner itaque indigitavit punctum et cardinem totius argumenti a Suarezio allati: conclusionem enim non ap-

probat nisi IN HYPOTHESI absoluti dominii in collatum stipendium primitus acceptanti acquisiti; atque satis innuit hoc dominium non acquiri nisi LIBERALI huiusce stipendii donatione: quae si in facto comprobetur hypothesis nemo renuet et ipsi Tannero et Suarezio aliisque assentiri. At vero quod de facto plerumque habeat locum haec hypothesis, Tanner contentus est timidam probabilitatem adducere: « uti quidem communiter fieri VIDETUR », dum Suarez absolute assumpserat idipsum quod praecise probandum esset, nec communiter praesumi nequit, sed toties quoties demonstrari debet, uti superius ostensum est, atque ab Antonio Cordub. et Petro Aragon audivimus. Tanner igitur si Suarezio assensit, non assensit nisi valde diminuta et fere totaliter correcta Suarezii ratione.

79. Eadem aetate floruit MARTINUS BONACINA Mediolanensis, qui in re morali auctor est classicus. Hic postquam Mediolani praeses fuit Collegii Borromaei Helvetiorum, anno 1619 Romam se transtulit; theologum egit Cardinali Hippolyto Aldobrandini et subinde ab Urbano VIII constitutus referendarius utriusque Signaturae et tandem consecratus Episcopus, Nuntius apostolicus Vindobonam missus, anno 1631 in itinere vita functus est, annos natus 46. Prima editio eius theologiae moralis lucem vidit Lugduni anno 1624.

Hic eruditissimus vir in disp. IV, quaest. ult., punct. VIII, n. 18 sequentia scripsit:

« Ultima difficultas est utrum qui plura colligit stipendia pro celebratione Missarum, possit per alios sacerdotes satisfacere retenta sib parte eleemosynarum, inscio dante, et insciis sacerdotibus per quos pensum Missarum persolvitur. — Respondeo cum Soto, l. 9, de Iust. q. 3 a. 1; Suarez, 3 par. disp. 86 sect. 3; Navarro, c. 25, n. 91, vers. 24 Reginaldo, l. 23, n. 240; Naldo, Ver. *Missa*, n. 20; Em. Sa, ver. *Missa* n. 45; Fraxinello, sect. 3, praenot. 5, p. 4; Possevino, cap. 2, n. 19 Rodriguez, i. p. cap. 252, concl. 4; Henriquez, l. 9 de Missa, cap. 22, n. 8 Bartholomeo ab Angelo, dialogo 5, pgr. 513; Vasquez, 3 part. disp. 234 cap. 4, n. 30; Filliucci, tr. 5 c. 6, q. 9, n. 186 et aliis, contra Mayorem in 4 dist. 45, q. 3; Arragonium, de iust. et iure q. 85, a 3, dub. ultimo pag. mihi 611; Cordubam, q. 4, dub. 1, opin. 2; Molfesium, tract. 3 c. 16, n. 25; et alios, satisfacere, modo sacerdotibus celebrantibus tan

tam tradat eleemosynam quantam fert communis taxa. Ratio est, tum quia nulli facit iniuriam, non enim facit iniuriam sacerdoti Missas celebranti, cum tantum stipendii tradat quantum postulat taxa communi consuetudine recepta, aut Episcopi auctoritate constituta, quamvis forte stipendium sit minimum intra latitudinem iusti stipendii; neque facit iniuriam illi qui sibi eleemosynam tradidit pro Missis celebrandis: nam tantum rependit quantum promisit, cum revera per alium suppleat et Missas aequalis valoris per alios sacerdotes offerat; tum quia sacerdos qui pecuniam accepit ut Missae sacrificium per se ipsum celebraret, factus est dominus pecuniae cum obligatione celebrandi Missam: non enim est veluti simplex dispensator et Missarum celebrandarum curator, ut suppono; ergo potest pecuniae illius partem sibi retinere: RETINET ENIM QUOD SUUM EST nec ulli facit iniuriam; — tum quia quotidiana cernimus experientia, ut etiam observat Possevinus, c. 2, n. 18, Henriquez l. c. et alii, capellanos habentes pingues capellanias reddentes, ex. gr. ducentos aut trecentos aureos singulis annis, consuevisse quinquaginta aureos, seu stipem iuxta loci consuetudinem tradere alteri sacerdoti ad sustinenda onera capellaniae, retentis sibi reliquis: ergo neque repugnat hoc idem fieri in proposito casu. — ADVERTENDUM TAMEN EST primo, quae diximus IN EO SOLUM valere qui factus est DOMINUS pecuniae sibi traditae, non vero in quocumque alio stipes colligente pro missarum celebratione, ut patet ex allatis rationibus. Quamobrem sacrista, vel alius qui stipes colligit ut per alios curet Missas celebrari, non potest sibi partem retinere, nisi hoc ei lege aliqua vel consuetudine, ratione officii permittatur. Ita Navarrus, c. 25, n. 91; Sotus l. c.; Beia, 1 p. casu 12 sub finem, pag. mihi 50, Rodriguez l. c. n. 9; Regin.; Emm. Sa; Fraxinellus; Suarez; Filliucci et alii ll. cc. — Secundo hoc non esse consulendum, cum redoleat nescio quid negotiationis et nimiae affectionis ad lucrum, nisi iusta causa cohonestetur. Ita Possevinus, Suarez, Arragonius, Fraxinellus, Filliucci et alii ll. cc. Idem in praedictis censuit Congregatio S. Poenitentiariae Mediolanensis me praesente et ita consulente, imo hoc idem consilium fere de verbo ad verbum in librum decisionum referendum transmisi ad Maiorem Poenitentiarium Ecclesiae metropolitanae, sicut etiam frequenter in aliis consueveram. Hoc autem admonuerim non vanitatis et iactantiae gratia, cum mihi servo nequam, minus utili et omnium minimo, nihil adscribam; sed ne qui librum decisionum viderit, existimet inde me accepisse quod tibi ex hoc suggestu tradidi ».

80. Perspicacissimus vir itaque apprime adverterat totam Francisci Suarez nostri ratiocinationem vacillante inniti supposito, certa nempe et absoluta translatione dominii in stipendium traditum, favore sacerdotis donationem eius primitus acceptantis; quam translationem absolute factam, ideirco ipse, potius quam probet, assumit tamquam factum

casui praesupponendum: haec enim eius mens apertissime proditur tum in prima paragrapho ubi dicit: « quia sacerdos qui pecuniam accepit.... factus est dominus pecuniae »; et quidem *dominum* intelligit absolute factum, non disiunctive tantum, sed *exclusa* hypothesi puri mandati: « non enim est, subiungit ipse, veluti simplex dispensator et missarum celebrandarum curator, UT SUPPONO. Ergo potest partem illius pecuniae sibi retinere, retinet enim QUOD SUUM EST, nec ulli facit iniuriam ». Insuper eadem scribentis mens aperte confirmatur ex capellani exemplo quo eam illico explicat, quippe qui praecise quia factus est alio habituali titulo dominus reddituum suae capellaniae, eos non accepit solo intuitu Missae celebrandae. Tandem in altera paragrapho iterum insistit in hoc eodem supposito exclusivo, tamquam in ratione quae si defecerit, cogit ad concludendum contrarium.

Idcirco, potiusquam afferrem Martinum Bonacina tamquam Francisco Suarez absolute adstipulantem, quemadmodum ei suffragatus est Vincentius Filliucci, libentius existimarem Bonacina tantummodo incomplete correxisse eius sententiam et eius conclusionem benigne trahere in hypothesim solam veram quae Suarezium effugerat.

81. Antequam Bonacina quaestionem nostram ea ratione quam perspeximus, definiret, eamdem GABRIEL VASQUEZ in scholis iam discusserat atque in commentario, primum anno 1613, Compluti edito. Operae pretium est integrum locum referre qui sic legitur in editione Lugdunensi, a. 1631, tom. VIII, Disp. 234, n. 30:

Relatis antiquiorum sententiis, Mayoris nempe, Soti et aliorum, ita ipse prosequitur:

« Alii vero recentiores id absolute fieri posse affirmant, non solum ratione officii et obligationis distribuendi illa stipendia, sed etiam non habita ratione illius, eo quod nulli fiat iniuria: nam si aliis sacerdotibus sufficiens stipendium datur, nulla eis fit iniustitia, ei vero qui maius stipendium dedit, sacerdos qui partem illam maioris stipendii retinet, nihil nocet: siquidem Missa eiusdem valoris ei applicatur. Probant autem ratione a priori, quia sacerdos qui primum stipendia plura accepit, dominium illorum acquisivit et obligationem contraxit pro illo

qui ea dedit, celebrandi : huic autem obligationi satisfacit, si curet ut missae eiusdem valoris ab alio seu ab aliis, pro illo celebrentur ; ergo quod superest ex stipendiis illis, sibi retinere potest : nam sacerdoti celebranti consueto stipendio satisfaciet. — Ego vero existimo distinctione opus esse, et primum quidem ratione peculiaris officii ad hoc destinati, nemo dubitare potest eum qui missarum stipendia distribuit, sive sit sacerdos, sive sit laicus, ut sacrista, aliquid sibi retinere posse : illud tamen quid exiguum esse debet, quia tale munus et officium exiguae sollicitudinis et laboris est. Dixi ratione peculiaris officii : nam officium generale parochi ad quem, eo ipso quod parochus est, hoc pertinet, nihil praeter redditus beneficii, pro hac cura et labore meretur. — Praeterea dico duobus modis maiora stipendia pro missarum celebratione alicui conferri posse : primum non ut ipse qui ea accepit, omnes illas missas celebret, sed ut aliis ad celebrandum distribuat, quam voluntatem haud difficulter ex circumstantiis coniicere poterimus, praesertim vero si tot postulentur missae et pro eo tempore pro quo ille cui stipendia omnia conferuntur, eas omnes celebrare non possit ; et tunc sine dubio stipendia illa conferuntur ut singulis qui missas celebrabunt, integre illa distribuat : ideo autem non posset ipse consueta stipendia celebrantibus tribuere et reliquum sibi retinere, quia celebrantibus fieret iniustitia, non quia illis non tribueretur stipendium alias iustum secundum legem et consuetudinem, sed QUIA TOTUM STIPENDIUM QUOD EX VOLUNTATE DONANTIS AD IPSOS PERTINEBAT, NON DARETUR : veluti si quis testamento suo praeciperet ut tot missae pro eo celebrarentur, et singulis celebrantibus duplo maiora stipendia darentur : neque parochus neque testamentarii satisfacerent, si minora stipendia, tametsi alias iusta, celebrantibus darent et reliqua sibi retinerent. Et ita DISSOLVITUR RATIO RECENTIORUM qui absolute probare contendebant in quovis casu posse sacerdotem qui maiora stipendia pro missae celebratione accepit, minora, alias tamen iusta, aliis tribuere : constat enim ex dictis non quidem fieri iniuriam danti sed ei qui celebrat : cum totum stipendium pro celebratione assignatum non datur ; tum etiam constat eum qui facit ut alius missam celebret, NON SATISFACERE OBLIGATIONI quam habet, non quidem celebrandi missam pro illo qui stipendia dedit, sed TRIBUENDI TOTUM STIPENDIUM CELEBRANTI, EX VOLUNTATE EIUS QUI ILLUD ASSIGNAVIT.

« Deinde haec maiora stipendia conferri solent ALICUI UT IPSE missas celebret, et hac ratione retinere sibi potest excessum iusti stipendii, et iustum alteri sacerdoti tribuere, ut pro eo qui stipendium dedit, celebret ; et hoc probat ratio recentiorum, atque in hoc casu eorum sententiam veram existimo, rationes vero Navarri et Cordubae nihil contra illam probare. Neque enim ratione officii id ei concedimus, nam si esset parochus, nihil pro eo mereretur, ut ipsi contendunt, neque turpe esset hoc modo pecuniam conquirere, cum iste (ut diximus) illam retinere possit : neque contra voluntatem dantis sacerdos eam retineret, cum ei plene satisfaciat, faciens ut alias pro eo celebret ; neque sacerdoti ce-

lebranti, cum ei iustum stipendium alias detur, neque maius aliud stipendium ex voluntate primi dantis ad ipsum pertineat.

« Ceterum contra hanc posteriorem partem nostrae sententiae OBICIET quis in hunc modum: ille qui tribuit stipendium ut missam pro se celebrari faciat, plus participat de fructu sacrificii quam ille qui eleemosynam seu stipendium non tribuit: ergo nisi eius stipendium detur celebranti, privabitur fructu aliquo, seu parte fructus. RESPONDEO: licet maiorem fructum participet sacrificii, qui stipendium dedit ut pro se missam celebrari faceret, quam ille qui nulli stipendium dedit, tamen ut maioris fructus sacrificii particeps sit, opus non esse ut totum stipendium, seu pars illius ad sacerdotem perveniat pro ipso celebrantem, sed satis esse quod stipendium ab eo collatum fuerit ad hunc finem et is qui illud accepit, fecerit pro eo missam celebrari. Quare si quis alius sine ullo stipendio velit loco sacerdotis qui stipendium accepit, ut ipsum a labore celebrandi liberet, eam missam offerre, sine dubio eodem modo proderit, ac si pro stipendio celebraret. Et haec satis de hac disputatione ».

82. Profecto qui haec sedulius perpenderit, diffiteri non poterit Gabrielem Vasquez vel sibi non cohaerere in ea quaestione, vel a Suarezii sententia mecum omnino dissentire. Id porro sequentibus animadversionibus evidenter demonstratur.

1) Illos « alios recentiores » quorum discutit sententiam, absque ullo dubio Fr. Suarez intelligit eiusque asseclas: « Suarezii sententiam » scribit P. Hurter, non raro sub recentiorum « nomine refellere nititur G. V. ». — Idipsum ceteroquin in hoc loco manifestum fit ex sententiae propositione, quippe quae constat iisdem conceptibus, eodem ratiocinio, imo iisdem fere verbis quibus usus est Suarez.

2) Suarezii sententiam *absolute* sumptam pronti ab auctore suo exhibetur, Vasquez expresse reiicit: nam proposita distinctione diversae voluntatis quam donator ex diversis adiunctis prodiderit, conferendi vel solum mandatum vel solam donationem, in illa hypothesi negat, in hac concedit Suarezii conclusionem subiungens: « ita dissolvi rationem *recentiorum* qui *absolute* probare contendebant *in quovis casu* posse sacerdotem qui maiora stipendia pro Missae celebratione accepit, minora, alias tamen iusta, aliis tribuere ».

3) In evolvenda hac sua distinctione, Vasquez aperte ostendit se in primo distinctionis membro ideo negare Suarezii conclusionem quia diversa est *causa* contractus quem primus eius auctor intendit inire: scilicet si stipendia alicui sacerdoti tradantur, « *non ut ipse* qui ea accepit, Missas celebret, sed ut aliis ad celebrandum distribuat »... « tunc sine dubio stipendia illa conferuntur *ut* singulis qui Missas celebrabunt, *integre eas* distribuat » etc.... « celebrantibus fieret iniustitia.... quia totum stipendium quod *ex voluntate donantis ad ipsos pertinebat*, non daretur »; atque e converso, in altero distinctionis membro: si maiora stipendia conferantur « alicui *ut ipse Missas celebret*.... in hoc casu eorum sententiam veram existimo ».

4) Ergo manifestum est ex ipsa oppositione utriusque membri distinctionis a Vasquez adhibitae, eum nolle Suarezio assentiri nisi voluntas donatoris tamquam *exclusivam* donationis *causam* intenderit, celebrationem Missae ab ipso donatario completam: tertia enim hypothesis intermedia quod nempe donans intenderit donatarii arbitrio relinquere ut ipse vel alter celebret, secum fert etiam disiunctivam conclusionem, oppositam prout Missa ab ipso donatario aut ab altero celebretur: secus enim Vasquez sibi non cohaereret, uti per se est manifestum.

5) Atvero si ita est, Vasquez omnino mecum sentit, cum eo solo discrimine quod equidem superius in cap. II, § 2, analysi explicita evolverim conclusionis meae rationem, dum Vasquez contentus fuit eamdem in una prima et fundamentali distinctione solummodo formaliter implicite inculcare. Idipsum confirmatur explicatione quam ipse suae conclusioni subiicit, Navarro et Cordubae respondens: nam si stipendia fuerint primo sacerdoti collata exclusiva donationis causa ut ipse celebret, donatio facta est intuitu *personae* non vero *solo celebrationis* intuitu, ideoque verum omnino est « quod neque turpe esset, ut ait Vasquez contra illos DD., hoc modo pecuniam conquirere, cum iste (ut diximus) illam retinere possit »; nempe quod honestum demon-

stratum est nequaquam intrinsece turpe aestimari potest. — Insuper « neque contra voluntatem dantis sacerdos eam retineret, cum ei plene satisfaciat, faciens ut alius pro eo celebret »: nempe quoad rei petitae substantiam, idem est sacrificium, a quocumque sacerdote applicetur; quoad vero accidentalem celebrantis devotionem, nisi fuerit expresse a donante postulata, devotio unius ordinarie compensatur alterius devotione. — Nec « sacerdoti sacrificanti » fit iniuria, cum stipendium primitus fuerit primo accipienti, intuitu personae donatum, ideoque, « cum ei iustum stipendium alias detur, neque maius stipendium ex voluntate *primi dantis ad ipsum pertinet* ». — Tandem et unica difficultas quam in fine Vasquez sibi obiicit, cum desumatur ex valore fructus donatori obtinendi ex collatione maioris stipendii celebrandi ipsi attributa, reapse est ultima quae superesse possit post explicationes praecedenter datas ab auctore.

83. Vasquez itaque, si diligentius perpendantur eius verba, tantum abest ut Suarezii sententiae subscripserit, ut potius adversari eidem reperiatur. Neque huic meae conclusioni obstat quod ab omnibus ex parte Suarezii constanter fuerit usque hodie relatus: praeterquam quod enim, si agatur de referendis DD. sententiis, multi auctores et antiquitus et hodie consueverint elenchos DD. ab antecessoribus transcribere quin singulos ab his recitatos suis oculis perspexerint; in textu praesenti indubium est Vasquezium ansam illi confusioni praebuisse cum, uti superius innui, formaliter implicite tantum dissensisse a Suarez demonstretur, verbaque eius in altero membro ipsius distinctionis, quod Suarezio concedit, materialiter spectata non videantur primo aspectu a Suarezii verbis discrepare.

84. Eadem ratione Vasquezium intellexit Gaspar Hurtadus S. I. (mort. a. 1647) qui eum sequitur in huius sententiae expositione. Interest integrum huius scriptoris locum referre ut evidentius appareat quomodo iam ubivix Suarez sensum suum aperuit, viri gravissimi non defuerint

qui defectum indigitarent quo peccabat eius ratiocinatio. Hurtadus itaque in opere *De Sacramentis* quod anno 1629 Compluti, publici iuris fecit, sexdecim annis postquam Commentarium Vasquezii fuerat editum, Disp. IV, Diff. XVII, in fine, relatis sententiis antecedentium DD. sic pergit:

« Vasquez vero Disp. 234, c. 4 docet et merito, primo eum qui ex peculiari officio ad hoc destinatus, colligit et distribuit stipendia Missarum, posse ex residuo illo stipendiorum aliquid sibi reservare, quia sollicitudo in illis colligendis et distribuendis, est pretio aliquo aestimabilis: id tamen debere esse exiguum, quia dictum officium est exiguae sollicitudinis. Secundo docet eum sacerdotem qui ex officio peculiari non est ad id destinatus, si maiora illa stipendia ipsi tribuantur, non ut ipse eam celebret, sed ut aliis ad celebrandum distribuat (quod quando alias non constet, poterit ex circumstantiis decerni) tunc nihil excessus posse sibi retinere: alias ille sacerdos illis aliis quibus distribuit, irrogaret iniuriam; non quia illis non tribueret iustum stipendium, sed quia illis non conferret TOTUM QUOD ALIAS EX VOLUNTATE DOMINI AD ILLOS PERTINERET; ex quo constat ad primam rationem pro Soto, Suarez et Bonacina (scil. quid sit respondendum). - Si vero maiora illa stipendia illi distribuantur ut ipse Missas celebret, tunc eum posse illum excessum retinere TITULO LIBERALIS DONATIONIS sibi a domino factae, et quidem tunc in retentione illius, nulli facit iniuriam, quia non sacerdoti cui distribuit, quia illi tribuit stipendium iustum et nihil quod ad illum EX VOLUNTATE DOMINI PERTINEBAT, sibi retinet; nec domino stipendia illa maiora tribuenti, quia quamvis Missa magis prosit ei qui maiora stipendia tribuit, quia magis inducit ad celebrandum, ei tamen non minus prodest ex eo quod sacerdos cui ipse contulit maiora stipendia, sibi retineat excessum, quia dominus iam totum illud dedit, ut pro ipso sacrificium offeratur et ita non minus cooperatur ad illud: ex quo patet ad rationes pro Navarro, Cord. et Mayor. Ad secundam vero rationem pro Soto, Suarez et Bonac. concedimus sacerdotem illum, etiam in priori casu secundae partis nostrae sententiae, acquisivisse dominium eorum stipendiorum excedentium, non tamen absque onere et obligatione DANDI ILLA INTEGRA CELEBRANTI, quia sic voluit dominus stipendiorum ».

Porro eadem omnino ratione, anno 1646, IOANNES DE DICASTILLO S. I. Vasquezium intellexit et probavit, in opere *De Sacramentis*, Antuerpiae edito De Sacrif. Missae, Disp. 4, n. 374. Quem eius locum oculis meis collatum, ne longus sim, omitto transcribere; hic insignis fuit theologiae magister, viginti quinque annis Toleti, Murciae et Viennae, et mortuus est anno 1653.

85. Gabrieli Vasquez affinis aestimari potest in praesenti quaestione, FERDINANDUS DE CASTROPALAO Legionensis, S. I. cuius opus morale classicis merito accensetur. Hic Compostellae multos annos theologiam moralem docuit tanto plausu et tanta auditorum frequentia ut tamquam oraculum, scribit Hurter, exciperentur quae proferebat, consultusque esset undique in casibus difficillimis etiam a S. Inquisitionis administris. Vita functus est anno 1633, annos natus 52. Eius Opus morale Lugduni edi coepit anno 1631; pars quarta quam cito, ibidem 1649. Iuvabit et ipsius integrum textum de quaestione nostra retulisse. In Opere morali, tom. IV, Tr. XXII, Disp. unica, Punct. XIV, n. 9, sequentia leguntur:

« Sed quid dicendum si abundantiora stipendia accepisti pro missis dicendis, poterisne aliis sacerdotibus iustum stipendium infimum concedere reservato tibi residuo? Negat Mayor in 4 D. 45, Q. 3, D. 2, quem sequitur Navarrus, Sum. C. 25, n. 91; Corduba, L. 1, Q. 4, D. 5. Sub hac tamen limitatione, ne scilicet ex officio habeas stipendia pro missis dicendis colligere et aliis distribuere. Probant primo, quia voluntas concedentis stipendium est ut integre celebranti concedatur. Tum quia in sustentationem celebrantis conceditur. Tum quia iuxta quantitatem stipendii fructus sacrificii communicatur. Secundo nullus apparet titulus ob quem iuste residuum stipendii retinere possis, non quia ab aliis sacrificia celebranda petis: huic enim petitioni levissimo stipendio fit satis; neque ex eo quod tibi a dante stipendium concedatur, ut probatum est. Ergo. Tertio videtur esse quaedam lucri turpis acquisitio, et in spiritualibus negotiatio per se indecentiam continens et avaritiam redolens ».

86. « Ceterum distinctione opus est et certa ab incertis separanda. Primo certum est, sicut tradit Navar. et Cordub. aliique referendi, colligentem stipendia pro missis dicendis, sive laicus sit, sive clericus, accipere posse stipendium quod sibi pro huiusmodi labore fuerit designatum, vel alias fuerit iustum, quia dignus est operarius mercede sua. — Secundo certum esse debet parochum seu capellanum, qui ratione beneficii vel capellaniae, ad plura sacra dicenda adstringuntur, posse, stipendio iusto aliis concesso, huic obligationi satisfacere reservantes sibi residuum. Sic post alios, Suarez D. 86, sect. 3, circ. fin.; Emm. Sa, verb. *Missa*, n. 45; Vasq. D. 234, C. 4, post med.; Laymann, l. 5, Sum. Tr. 5, c. 1, Q. 3, concl. 1; Barbosa 2 p. De pot. Episc. Alleg. 21, n. 11; Bonac. Disp. 4, De sacr. Q. ultim. p. 8, n. 18. Ratio est manifesta: quia fundatori capellaniae et beneficii nulla fit iniuria, cum aeque illi prosit sacrificium a capellano seu beneficiato celebratum, ac cele-

bratum a quolibet alio sacerdote. Ex alia parte capellanus et beneficiatus, titulo capellaniae et beneficii constituuntur domini fructuum et reddituum sub obligatione dicendi sacra. Ergo satisfacientes huic obligationi, ut vere per alios sacerdotes satisfacere possunt, iustum stipendium illis concedentes, poterunt residuum sibi retinere; et ita usus et praxis obtinuit. Tertio PROBABILIUS EST, si tibi abundantiora stipendia concessa sunt pro missis a te celebrandis, posse licite huic obligationi satisfacere mediis aliis sacerdotibus, quibus minus stipendium sed iustum concedis. Sic docuit aliis relatis, Suar. Barbosa, Vasq. Emm. Sa, Bonac. locis allegatis. Ratio est quia celebrantibus nullam infers iniuriam, cum iustum celebrationis stipendium tribuas; abundantius concedere non teneris, quia non tibi sub hac obligatione concessum est. UNDE ENIM HAEC OBLIGATIO ET INTENTIO DONANTIS CONSTAT? POTIUS ENIM CONSTAT TIBI ABSOLUTE ESSE CONCESSUM SUB OBLIGATIONE CELEBRANDI PER TE VEL PER ALIUM. Si enim alii sacerdotes tuo nomine gratis celebrare velint, nemini est dubium te integrum stipendium acceptum retinere posse. Ergo etiam retinere poteris, cum celebrant iusto sed infimo stipendio dato. Praedictum namque stipendium non retines ex donatione sacerdotum celebrantium, sed ex donatione illorum qui missas a te petierunt: ipsi enim sacerdotes non donant tibi stipendium, sed te liberant ab obligatione quam habes celebrandi virtute stipendii accepti ».

87. « Notanter dixi pro missis a te celebrandis: nam si stipendia tibi concedantur non ut tu celebres, sed ut aliis sacerdotibus celebrantibus tradas, nequaquam poteris (seclusa speciali consuetudine et voluntate expressa concedentis) aliquam partem stipendii retinere, quia retineres contra voluntatem concedentis; cum non tibi tradatur ut retineas, sed ut celebrantibus dones, iniuriamque celebrantibus facis donans stipem infimam etsi iustam, cum abundantior illis fuerit legata. Et tradunt Suar. Vasquez, Barbosa, Emm. Sa, et Laymann, ubi supra. Cognoscere autem quando tibi traditur stipendium absolute, quando uti curatori et dispensatori, non est difficile. Si enim impeditus es celebrare in favorem illius qui stipem tradit, vel quia laicus es, vel quia, esto sis sacerdos, ex instituto ob stipendium celebrare non potes, sicuti religiosi nostrae Societatis, manifestum est non tibi stipendium tradi ut illius sis dominus, sed ut illius sis dispensator et distributor; neque ullam illius partem retinere potes quae a celebrantibus non fuerit concessa. Excipe nisi in aliquo casu donans stipendium expresse declaraverit tibi velle illius dominium concedi, sub obligatione tamen quaerendi sacerdotes qui obligationi celebrandi satisfacerent. Nihil enim huic voluntati obstare potest, si capax existas dominii pecuniae traditae. Ceterum etsi in rigore vera sint, consultum tamen est ab hac lucri cupiditate abstinere, sicut bene inter alios monent Suarez et Bonacina, supra ».

88. « Argumenta in contrarium ex proxime dictis dissolvuntur. Ad primum nego voluntatem dantis tibi stipendium, esse ut celebranti sem-

per concedatur: id enim solum est, quando tibi traditur stipendium ut celebrare facias, secus quando traditur ut tu celebres. Et ad probationem respondeo stipendium concedi ut subsidium vitae celebrantis per se vel per alium, sicuti contingit in fructibus beneficii vel capellaniae. Ad secundam probationem nego diminui sacrificii fructum ex eo quod minore stipe concessa peragatur, sicut non diminueretur tametsi gratis fieret. Nam ut bene tradit Vasquez, dicta D. 234, c. 4 in fine, fructus sacrificii correspondet danti stipem pro quantitate stipis primo concessae et affectu quem tunc ad sacrificium habuit. Ad secundum respondeo eam partem stipis te retinere titulo donationis onerosae. Tertium probat hanc stipendii retentionem non esse consulendam, quinimo censerem lege et praecepto prohiberi debere maxime cum eo animo accipitur ut minori aliis concesso partem retineas ».

89. Hucusque Castropalaus. Et revera ipse tanta perspicuitate singula distinguit atque enuntiat seligens ex praedecessorum assertis quidquid et quantum veri potuerit, ut facillimum sit ultimam urgere distinctionem in qua tandem vertitur totius cardo quaestionis. Nimirum auctor egregius assumit factum quod stipendium fuerit primo accipienti donatum *absolute,* ut ait et donatione quae *excludat* obligationem tradendi acceptam stipem alteri celebranti: « Potius enim constat, scribit ipse, tibi (stipendium) absolute esse concessum sub obligatione celebrandi per te vel per alium »; et infra: « respondeo illam partem stipis te retinere titulo donationis onerosae »; porro superius dixerat « abundantius concedere non teneris *quia non tibi sub hac obligatione concessum est* ». — Iam age: nequaquam quaevis donatio onerosa *causam habet mere liberalem* cui onus annexum *secundarie* tantummodo fuerit: sed ulterius inquirendum venit quali ratione onus donationi accesserit: utrum tamquam unicus titulus movens ad eam faciendam, an non tamquam unice movens ad eam, verum secundarie tantum ei accedens. Si hoc alterum contigerit, vera est Castropalai et Suarezii doctrina ac conclusio; nam *causa* et titulus superest, alio etiam celebrante, ut primus donatarius sibi servet donationis excessum; si vero primum dicatur, huiusmodi causa sive titulus non superest, ideoque tota dissolvitur prima donatio ac totum collatum stipendium celebranti transfundendum est, iuxta superius expli-

cata. — Porro in hac ultima hypothesi evidens est quod, si hic alius sacerdos voluerit gratis implere onus, stipendium retineri totum potest a primo, non ex *causa* primae donationis sed virtute novae donationis a celebrante ipsi factae, ut etiam Cardinalis De Lugo animadverterat. Castropalaus tamen magis expresse quam Vasquez, ulteriorem fieri posse distinctionem videtur advertisse, quae tamen ut contrariam induceret conclusionem ipse simul exigere videtur eam EXPRESSIS verbis a donante significari: subiungit enim: « Excipe nisi in aliquo casu donans stipendium *expresse* declaraverit tibi velle illius dominium concedi *sub obligatione tamen quaerendi sacerdotem qui obligationi celebrandi satisfaceret* ». Hanc porro exceptionem adnectit casui quo stipendia tradita sacerdoti fuerint tamquam distributori: ipse igitur adverterat contractui donationis accedere posse contractum mandati unde nullius negotii erat uno gressu ulterius procedere *causam donationis* distinguendo quae, accedente mandato distributionis, vel subsistere vel non subsistere possit.

90. Mentio tandem non omittenda aliorum trium Auctorum non spernendae auctoritatis, scilicet Augustini Barbosa, Valerii Reginaldi atque Emmanuelis Rodriguez. Horum enim suffragium a nonnullis sine fundamento sententiae adversae refertur.

Et primus, AUGUSTINUS BARBOSA potius Navarro suffragari reipsa videtur. In famoso enim opere *De Officio et potestate Episcopi* quod, anno 1621, Romae editum, tanto plausu in Curia fuit acceptum, *Part. II, Allegat. XXIV, n. 11*, ita compendio refert sine discussione conclusionem variarum sententiarum Auctorum quos subinde citat commixtos:

« Sacerdos qui aliquam pecuniae quantitatem accepit per se, vel per alium, pro dicendis Missis, vel ut eas faciat celebrare per alios, potest per alios sacerdotes satisfacere minori pitantia, retenta sibi parte eleemosynarum, inscio dante, et insciis sacerdotibus celebrantibus; modo illis tantam tradat eleemosynam quantam fert communis taxa et modo sit parochus, vel alicuius populi curam habens, et pecuniam accipiat a lege vel consuetudine assignante sibi certam quantitatem ex quaque

Missae pitantia; secus vero si sacrista vel alius sit, qui stipendia colligat, ut per alios curet Missas celebrare; quia tunc non potest sibi partem retinere iuxta quae reducenda sunt dicta per Sot.... Navar.... etc. ».

Et subnectit Decretum S. Congr. Conc. *De celebr. Missarum,* sub Urbano VIII iam editum, ex edit. Camerae Apost. anni 1625. Haec profecto quaestionem ad summum relinquunt intactam.

91. Similter Valerius Reginaldus (mortuus an. 1623); *in praxi fori poenitent.* Lib. 23, n. 240, dubium vertit tantummodo « an sacerdos qui ab aliquo plures eleemosynas accepit, ut curaret Missas pro ipso celebrari, licite possit aliquid sibi ex iisdem eleemosynis sumere pro cura et labore quem suscipit in quaerendis sacerdotibus qui easdem Missas celebrent »; et relatis Soti et Navarri sententiis, insistit in distinctione a Navarro allata:

« Nam, ait, si datae sint eleemosynae maiores quam requirantur de consuetudine ut celebretur is Missarum numerus qui a dante petitur, excessus ille potest accipi a sacerdote celebrationem procurante: quia DANTES SCIENTER ELEEMOSYNAS SOLITO MAIORES, VIDENTUR revera dedisse excessum loco stipendii, PRO CURA et labore quem suscipit PROCURANS ut celebrentur. Si vero datae eleemosynae nihil excedant etc. ».

Quae profecto ad cardinem quaestionis nostrae non attingunt, quia ex hypothesi agitur de contractu mandati non vero de contractu *donationis ut Missae* celebrentur. Imo quoad ultimum contractum Reginaldus cum Navarro supponit ipsum principium quo nititur sententia quam evolvi.

92. Neque Emman. Rodriguez O. S. F. (mort. an. 1613) in *Summa casuum,* quam hispanice ediderat iam ab anno 1598 atque Balthasar de Canizal anno 1616 et deinceps latine redditam edidit, magis quam Reginaldus huic sententiae favet, cum Part. 1, cap. 250, n. 9, postquam dixit non videri licitum colligere stipendia multarum Missarum cum animo faciendi eas dici in aliis partibus pro minori stipendio illo quod receptum est, quia hoc sacrificium non est materia negotiationis temporalis sed spiritualis, ita subinde prosequitur:

« Verum est tamen quod non condemnarem ego hoc ad peccatum, quando aliquis esset nimis pauper et non posset illas dicere, aut magna

cum difficultate et mora diceret eas, quia in hoc casu poterit licite uti dicta industria, SI CONSENTIAT QUI RECIPIT EAS, ut sic satisfaciat debito quod praecipue debet praetendi in hoc casu, non autem lucrum; et idem dicendum est de capellano quia potest ea dici facere dans solitum stipendium, licet ipse retineat sibi aliquid eleemosynae quae pro illis est assignata quia hoc non retinet, NISI RATIONE BENEFICII, ut dicit Henriquez T. 9, L. *De Missa*, c. 22 in fine. Et idem debet dici de parocho qui aggregavit multas Missas et postea dat eas dicendas alteri pro minori stipendio, illo quod recepit, dummodo stipendium quod ipse alteri dat, sit iustum, ut docet Sotus, quem defendit Suarez contra Cordubam ». — Porro ibidem n. 12: « Si parochus aut vicarius Episcopi per statutum aut consuetudinem sumpsit curam distribuendi Missas dicendas, potest ex stipendiis earum (praecipue si sint maiores solito) retinere sibi aliquid parvum secundum loci CONSUETUDINEM pro labore ut tenent Sotus et Navarrus et alii, quos allegat Henriquez. Non potest tamen accipere multum quia NON HABET IUSTUM TITULUM ad illud, nec est talis INTENTIO EIUS QUI COMMENDAT DICTAS MISSAS ».

Iam vero in his verbis quae a me litteris maiusculis notata sunt, Rodriguez innuit rationem et titulum retinendi aut non partem stipendii, a se collocari in intentione tradentis ipsum ut Missa celebretur, quod est radix meae solutionis. Cetera igitur quae ab eo dicuntur, n. 9, de parocho, a Soto mutuata, debent exclusive intelligi de stipendio pinguiori alio etiam titulo collato, praeter solum oblationis sacrificii titulum. Emmanuel Rodriguez itaque etsi non explicite, implicite tamen mihi non vero parti adversae favet.

§ 4. Doctores alii, Suarezio suppares, qui ipsi refragantur (1608-1675).

P. De Ledesma; Th. Sanchez; P. Laymann; Card. Ioan. De Lugo; A. Diana; R. Aversa; A. Escobar; Z. Pasqualigo; Th. Tamburini.

93. Suarezii sententiam et argumenta ex professo confutare aggressus est PETRUS DE LEDESMA O. P. Hic vir fuit, uti scribit Hurter (9) « inter eruditos magnus et maximae apud omnes auctoritatis multarumque virtutum laude conspicuus; sacras docuit litteras annos quadraginta summo parique omnium plausu.... Salmanticam evocatus, cathe-

(10) Nomencl. I, pag. 146.

dram Durandi obtinuit a. 1604 et a. 1608 S. Thomae vespertinam, ubi demum et docere et vivere desiit, a. 1616 ».

Porro Ledesma *Theol. mor. De Sacramentis,* Colon. 1680 *De Euchar.* cap. 18, Concl. 13, haec habet:

« Sed circa hoc est aliud grave dubium: utrum videlicet parochus et alii sacerdotes qui pinguiora et abundantiora stipendia pro Missis legendis accipiunt, et eas postmodum alteri legendas committunt, possint sibi aliquam stipendiorum partem retinere modo aliis iustum stipendium tribuant ». — Relatis subinde rationibus Suarezii quem citat et « aliorum Soc. Iesu » quos non nominat, ita prosequitur: « Ad hoc dubium respondeo, huiusmodi contractum iniustum et illicitum esse, imo et talem sacerdotem furti iudicio condemnandum esse, qui reliquam stipendii partem sibi reservat, atque adeo teneri ad restitutionem faciendam illis qui Missas celebraverint (10) Ita docet Maior... Cord... Navar... et communiter omnes Thomistae et hoc est certissimum. — Probatur *primo* et principaliter quia huiusmodi sacerdos qui sic Missas per alium exsolvi procurat earumque stipendia inter sacerdotes stipendiarios distribuit, NULLUM PRORSUS IUS HABET ad reservandum sibi aliquam partem stipendii, maxime cum illud sit excessivum; ergo peccabit contra iustitiam si sibi reservet: nullum enim opus exercet cui huiusmodi pars stipendii iure debeatur. — Huic rationi quid responderi possit haud video, nisi forte dicatur illum ex eo aliquod ius sibi acquisivisse, quod ad illas Missas legendas sese obligaverit. — Sed contra obiicitur: quia tantum abest ut tali obligationi debeatur aut correspondeat tanta stipendii portio, ut ne minima quidem debeatur, quia ipse in hoc vix aliquid subit laboris aut exercet operis; ergo illo titulo nullum sibi ius acquisivit ad talem stipendii partem sibi reservandam. — *Secundo.* Quia mens et INTENTIO FIDELIS UBEREM eleemosynam pro Missae celebratione elargientis est, ut ILLI SACERDOTI TRIBUATUR QUI MISSAM LEGERIT, non autem ei qui illam procuraverit: ergo si ille Missam non celebrat, nullum ius habet ad reliquum stipendii retinendum. Et hoc adeo certum et verum reputo, ut in moralibus nihil manifestius aut certius reperiri posse mihi videatur. Quod ex argumentorum oppositae sententiae solutione adhuc evidentius fiet ».

94. « *Ad primum respondetur,* illum sacerdotem cui primo stipendium confertur, non absolute statim sibi comparare dominium illius, sed IN ORDINE AD MISSAM CELEBRANDAM, QUAM RATIONE HUIUSMODI STIPENDII CELEBRANDAM SUSCIPIT, ac proinde, si ipsemet illam non celebret non manet dominus illius stipendii, sed alius qui illam celebraverit: fidelis enim honorarium sacerdoti pro Missae celebratione erogando, intendit ut Missa ad suam intentionem celebretur, non autem ut quis ad eam

(11) His verbis subscripsit Benedictus XIV, in Encycl. *Quanta cura* 30 Iun. 1741. Recole dicta sub n. 10 sq.

sive per se sive per alium celebrandam obligetur, atque adeo sacerdos qui illam per se non celebrat, non efficitur dominus illius, sed solum dispensator et oeconomus ».

« *Ad secundum respondeo.* Beneficiatum qui ratione beneficii ad certum Missarum numerum tenetur, posse quidem suae obligationi per alium satisfacere, etiam minimo stipendio (iusto tamen) ipsi persoluto, quia reditus sui beneficii non dantur ipsi tamquam stipendium Missarum, sed tamquam aliquid ipsius beneficio correspondens; haec enim praesumitur fuisse intentio (saltem intepretativa) fidelium qui huiusmodi beneficia fundarunt, et ideo non est par ratio, quia VOLUNTAS STIPEM OFFERENTIS FUIT, UT IN SOLIUS CELEBRANTIS COMMODUM CEDERET, beneficiatus vero habet ius ad aliquam partem suorum proventuum sibi retinendam etiamsi suae obligationi per alium sacerdotem satisfaciat ».

« *Ad ultimum respondeo* magnam esse disparitatem inter utrumque : in casu enim argumenti est periculum ex utraque parte, nam sicut ipse triticum minori pretio comparavit, ita etiam ad illud maiori pretio comparandum poterat obligari ; hic autem nullum prorsus est periculum, imo ne minimum periculi vestigium apparet. — *Adde* quod voluntas stipendium offerentis talis fuit, ut videlicet totum illud sacerdoti Missam legenti daretur. Quod si alter sacerdos qui Missam legit, gratis velit illam stipendii partem alteri remittere, potest quidem absque ullo conscientiae scrupulo id facere, verum id regulariter non est admittendum, quia communiter non ita fit ».

« Illud etiam hic obiter *advertendum* est quod omnis quidem negotiatio seu mercimonia statui sacerdotali repugnet, maxime tamen hunc statum spiritualem dedecet Missarum et aliarum similium rerum spiritualium mercimonia : unde merito praelati huiusmodi Missarum mercatores corrigere deberent ».

Haec profecto plene consonant iis quae a me superius fuerunt disputata atque enucleata forte paulo penitius.

95. A Suarezii sententia recessisse dicendus est etiam THOMAS SANCHEZ S. I. (mort. a. 1610). Hic enim quamvis praesentem quaestionem ex professo non agitet, tamen *In Decalog.* Lib. VII, c. 28, n. 19, ubi tractat de stipendiis Missarum a religiosis Societatis Iesu non accipiendis, haec habet :

« Si executores testamenti peterent a religioso Societatis Iesu, ut ea sacra faceret (quae in testamento facienda relicta sunt), quo ipsi eas pecunias sibi retinerent, non existimo esse integrum huic religioso ea facere, sed esse contra votum paupertatis. Atque idem credo quando CLERICI PRIVATI PECUNIAS AD MISSAS FACIENDAS RECIPERENT, AC PETERENT A RELIGIOSIS SOCIETATIS IESU UT EAS FACERENT. Quia cum nec exe-

cutores illi, nec clerici *ius aliquod, aut titulum habeant* eas pecunias sibi comparandi, nisi *mediantibus sacris factis* per hunc religiosum, *haec sacra ius illud et titulum retinendi conferunt;* ac proinde idem est, ac si religiosus ille, stipendium illud acciperet et illis daret. Sicut si in favorem mercede conducti ad portandas Hispalim litteras, quispiam eas portaret gratis, censeretur eam mercedem suo labori debitum ac eo solo partam, sibi acquirere et donare illi conducto. Vide tamen limitationem huius n. 24 ».

Ibi autem innixus declaratione quadam Claudii Acquaviva Generalis S. I., explicat quomodo religiosus ille paupertatis voto non deficeret, sed censendum esset sacra gratis facere, si clerici privati stipendio iam recepto et consumpto, sacra *nec ipsi facere possent*, nec pecunias sibi procurare ut ea aliis committerent: in eo enim casu, adest impossibilitas moralis ut stipendio obtineatur debita celebratio.

Evidenter igitur Sanchez verbis notatis, supponit in Missis manualibus solam celebrationem iustum constituere titulum acquirendi totum stipendium. Quae nostra sententia est.

96. Non alia fuit sententia Pauli Laymann S. I. qui unanimi Doctorum suffragio, nulli reputatur aut fere nulli theologo morali secundus. Ipse tempore aequalis fuit Petro De Ledesma atque anno 1635, sexagenarius Constantiae decessit. Primum lucem vidit eius *Theologia moralis* Monachii, anno 1625 et subinde auctior anno 1626 et Parisiis anno 1627. Porro L. V, Tr. V, cap. I, n. 14 ita legitur:

« Si stipendium alteri sacerdoti detur, censetur esse dantis voluntas ut ipsemet sacrificet, vel si alteri commendare velit, totum ei stipendium largiatur: quare hoc casu iniuriam infert si partem sibi retineat. Ita Navarra et Henriquez.... Mayor.... Ratio est partim quia maior eleemosyna data sacrificanti, censetur maior cooperatio ad sacrificium, ex quo maior fructus danti proveniat, partim quia etiam sacrificans, beneficii magnitudine motus, maiorem devotionem adhibet, ideoque plus beneficii magnitudine motus, maiorem devotionem adhibet, ideoque plus benefactori impetrat. Neque obstat, quod Suarez obiicit, sacerdotem cui primo stipendium confertur, statim comparare eius dominium, sub obligatione sacrificandi, quam vel per alium implere potest: respondeo enim COMPARARE QUIDEM DOMINIUM SED CUM OBLIGATIONE UT VEL IPSEMET SACRIFICET, VEL ALTERI SACRIFICATURO LARGIATUR, SECUNDUM PRAESUMPTAM VOLUNTATEM DANTIS. EO QUOD PECUNIA PROPRIE NON DETUR TAMQUAM MERCES, IN COMPENSATIONEM OBLIGATIONIS DICENDI MISSAM, SED IN SUSTENTATIONEM AC SUBSIDIUM VITAE. Si tamen alter sacerdos

sponte in se suscipiat sacrificandi obligationem, parte stipendii condonata: tunc nemini iniuria fiet: dummodo credi possit eum muneri suo perinde satisfacturum, ac si stipendium integrum ipsemet percepisset ».

« Eadem porro ratio est si alicui non sacerdoti, v. gr. sacristae pecunia detur, ut Missam dici curet: non potest enim sibi partem retinere, nisi ex loci consuetudine vel alia de causa praesumptio fieri possit, id non fieri contra voluntatem dantis. Ita docet Navar. et Sà loco citato ».

97. Patet inde immerito assertum Laymann favere sententiae Suarezii in praesenti quaestione, quem citatum confutare omnino intendit, nulla eius rationi probabilitate concessa, cum *iniuriae* absolute damnet quemcumque sibi retinentem partem stipendii quod offerens intenderit solo Missae applicandae intuitu contulisse: dantis enim voluntatem esse ait, non solum ut Missa sibi applicetur, sed *etiam* ut effective sacrificanti stipendium totum detur: quod perinde est ac dicere solo intuitu celebrationis actualis, stipendium fuisse collatum, non vero alio etiam titulo qui forte in primo acceptante non sacrificante, verificaretur. Id porro confirmatur ex eo quod Laymann eamdem rationem qua iniustitiae damnavit sacerdotem, et ipsam expresse dicit valere pro sacrista, quippe qui evidenter non agit nisi mandatarium in ea re. — Equidem verum est Laymann ultimam demonstrationis radicem non attigisse neque enucleasse, cum in ratione quam subiungit, excurrat ad alium medium terminum, de pretio obligationis supernaturalis excludendo, qui revera, uti superius explicavi, nihil iuvat praesenti controversiae: sed hoc demonstrat tantum, doctissimum virum non aestimasse rem in se satis manifestam, ulteriori investigatione indigere; nequaquam vero permittit ut Laymann in partem Suarezii detorqueatur. — Quocirca mirum etiam est Pauli Laymann citationem fugisse solertiam S. Alphonsi.

Opportunum est advertisse Laymann, quando haec primum fecit publici iuris, anno scilicet 1626 et sequenti, notitiam habere iam debuisse decretorum Urbani VIII et speciatim § V, quod stipendii diminutionem prohibet: haec enim decreta anno 1625 fuerunt a Pontifice probata et a

S. C. C. primum promulgata. Quo supposito, si Laymann existimasset obligationem iustitiae commutativae quam ipse urget in casu, originem habuisse tantum ex positivo atque humano Ecclesiae praecepto, ea sola ratione allegata quaestionem solvisset. Atvero de hoc Ecclesiae praecepto ne verbum quidem; sed totus est in deducenda sua conclusione ex contractus initi natura, quippe quae a voluntate stipendium offerentis essentialiter pendet.

98. Hic locus est afferendi auctoritatem omni exceptione maiorem Card. De Lugo quem ideo solummodo videntur omnes praetermisisse, quia quaestionem in qua versamur de iustitia ipso contractu inducta, ex professo discutere noluit. Dubitare tamen non possumus quin eam in tot scriptoribus qui ipsam agitaverant, et maxime in Suarezii commentario diligentissime adverterit: si idcirco Suarezii sensum approbavisset, vir moderatissimus nequaquam omisisset eius mentionem, ne obligationem iustitiae ultra rigoris limites urgere videretur. Imo ipse, uti statim audiemus, controversiam censet esse Urbani decretis finitam et quidem non ex mero humano Ecclesiae praecepto finitam, sed ex ipsa rei natura quam illa decreta declarando confirmarunt: secus enim pronum erat absolutae Urbani prohibitioni in qua expressa restitutionis faciendae mentio nulla occurrebat, limitationem afferre ex natura initi de facto contractus, quemadmodum ante illa decreta, Suarez fecerat ratione illa quam ab ipso audivimus. Atqui perspicacissimus vir huiusmodi limitationem non solum prorsus omittit, sed etiam satis aperte insinuat se positive excludere: nam subinde unam solummodo exceptionem admittit posse fieri absolutae Urbani prohibitioni: si nempe ille ipse qui Missam celebrat, omnino libere suo iuri in stipendium vel eius partem cesserit. Agnovit igitur Card. De Lugo ius ad totum stipendium ex ipsius contractus natura effectivo celebranti eique soli exoriri.

99. Sed audiamus eum, *De Euchar.* Disp. XXI, sect. II, in qua quaeritur: *Quantum stipendium accipere possit sacerdos pro Missa*, postquam n. 26 dixit quoad « Multa sole-

bant antea dubitari circa hoc stipendium quae iam omnino cessarunt per decreta quae auctoritate SS. D. Urbani VIII, edidit S. C. C. anno 1625, ut ex dictis constabit », ita prosequitur n. 25:

« Quarto quaerebatur, an sacerdos qui Missas dicendas susceperat, posset postea aliis sacerdotibus dicendas dare, retenta sibi parte stipendii accepti, et dato illis stipendio quidem iusto sed inferiori. Aliqui id negabant; alii concedebant: alii non omnibus sed curatis aut similibus: alii omnibus, dum in se prius Missarum dicendarum a se onus suscepissent. Hoc dubium iam cessavit ex decreto praedicto, in quo prohibetur ne unquam id fiat, ut omne damnabile lucrum ab Ecclesia removeatur. Quod idem servandum esse quando sacerdoti datur eleemosyna maior solita pro celebratione Missarum, nec tunc partem posse retineri, declaravit eadem Congregatio ».

100. Et solutis casibus de beneficiario, de capellano deque administratore ecclesiarum, prosequitur, n. 32:

« Petes, si sacerdos alteri Missam dicendam committat, quam ipse, accepto stipendio, dicere debebat, et secundus sacerdos remittat ei partem stipendii, et contentus sit parte aliqua, an possit tunc primus retinere sibi partem ex voluntate condonantis. Congregatio enim absolute dicit: « Debere absolute integram eleemosynam tribuere sacerdoti celebranti, nec ullam illius partem sibi retinere posse ». Credo rem tamen, id non prohiberi, dummodo sacerdos celebrans omnino sponte et libere id condonet, non vero ex metu aliquo, quia fortasse alias non darentur sibi illae Missae, vel in futurum aliae non dabuntur, vel quid simile: et in hoc sensu intelligo auctores aliquos, quos affert Diana loco citato (Tom. I, *De celebr. Missar.*) Resol. XIII, id concedentes: quia Congregatio non prohibet quod sacerdos absque stipendio celebret, ergo sicut posset aliquis absque ullo stipendio celebrare, ut alium sacerdotem liberet ab onere suscepto, cui satisfacere non potest, quo casu condonat illi totum stipendium acceptum, sic posset condonare partem, dummodo dolus et metus omnino cessarent, ut dictum est: quod tamen in praxi vix poterit absque periculo contingere » (12).

---

(12) Advertendum est opus Card. De Lugo *De Eucharistia*, quod ab a. 1616, Vallisoleti in scholis tradi incoeperat (Wetzer u. Welte' s Kirchenlexic. VIII, 284. — Hurter Nomencl. I, 496) fuisse per vicennium, expolitum antequam typis primum traderetur. Antoninus Diana, heic a Ioan. De Lugo citatus, iam ab anno 1629 suas *Resolutiones edere coeperat*, quas non complevit ante annum 1659. Tract. *De celebrat. Missarum* in veteri huius I editionis ordine, est XIV, partis II, ideoque ante annum 1630 vel 1631 lucem vidit. Nihil vetat igitur quominus Lugonis auctoritas praesenti aetati referatur, Suarezianae suppari.

101. Succedit perpendenda ANTONINI DIANA sententia quem S. Alphonsus parti nostrae simpliciter accenset; quod statim demonstrabo qua ratione sit omnino concedendum. Hic itaque (13) magnae fuit aestimationis vir apud coaevos atque in Curia Romana munus gessit examinatoris Episcoporum sub tribus Pontificibus, Urbano VIII, Innocentio X atque Alexandro VII; auctor est benignus quidem sed scientia et eruditione perinsignis, quem Fr. Antonius Zacharia vindicare studuit a nota nimiae benignitatis ipsi ab aliquibus inusta: his tamen, uti notum est, S. Alphonsus etiam accessit (14). Quidquid de ea re sit, ipse S. Doctor eum perpetuo citat et saepissime pro iis sententiis quas ipsemet amplectitur. Diana, qui 44 annos natus Ordinem Cl. Reg. Theatinorum ingressus fuerat, anno 1630, vita functus est triennio post mortem Card. De Lugo, anno nempe 1663.

Porro in edit. coordinata, tom. II, Tract. I, Resol. 25, auctor quaerit « an sacerdos qui eleemosynam accipit pro dicendis Missis, possit postea per alios satisfacere minori pitantia sine peccato et onere restitutionis ». Distinctis modo suo, tribus anteriorum DD. sententiis, quarum primam affirmativam esse dicit sed pro solis curatis et similibus, ac Suarezio attribuit, de tertia ita ipse prosequitur:

« Tertia opinio, cui tamquam probabiliori adhaerebam olim, est Gabrielis Vasquez in 3 p. tom. 3, D. 234, C. 4, n. 30; Naldi in Summa verb. *Missa,* n. 4; Homoboni.... Fraxinelli.... Emman. Sà.... et aliorum, qui docent opinionem affirmativam, etiam quoad omnes sacerdotes sive sint Curati, sive non, duabus tamen concurrentibus conditionibus. Prima est ut talia stipendia IPSI dentur sacerdoti pro Missis AB EO celebrandis, ut SIC ipse sacerdos DOMINIUM dictorum stipendiorum acquisierit, et non sit simplex dispensator, ut Missarum dicendarum curator. Secunda est, ut eam partem stipendii pinguioris alteri sacerdoti praebeat, quae sit iustum stipendium lege aut consuetudine praefinitum. Quibus SUPPOSITIS haec sententia probatur, quia sacerdos dominium accepti pinguioris stipendii, acquisivit cum obligatione dicendi Missam

(13) Wetzer u. Welte' s l. c. III, 1692. — Palmieri, *Op. Mor. Ball.* VII, pag. 449.

(14) *Theol. Mor.* L. VI, n. 257.

pro alio: ergo ut dominus, dato iusto stipendio, per alium sacerdotem obligationem adimplendo, nullam iniustitiam committit. Confirmatur, nam sacerdos, qui ex dato sibi pingui stipendio, mercedem iusti stipendii pro Missa dicenda dat alteri, nulli infert iniuriam: non quidem alteri sacerdoti celebraturo, quia datur ei iustum stipendium; neque illi pro quo celebranda est Missa, quia pro eo Missa offertur eiusdem valoris ex iusto stipendio, ac si ex pinguiori diceretur. Ergo licite eam partem, iustum stipendium excedentem, sibi retinet ».

« Sed dices, licitum hoc etiam videtur illi sacerdoti, qui stipendium accepit ut curaret Missas dicere: nam etiam talis dispensator Missarum dat sacerdotibus celebraturis iustum stipendium; ergo nulla eis infertur iniuria et iniustitia. Respondeo negando consequentiam: infertur enim illis iniuria, non quia illis non tribuitur iustum stipendium, sed quia totum stipendium quod ex voluntate donantis ad ipsos pertinebat, minime datur. Ita olim circa praesentem quaestionem sentiebam ».

« Sed modo S. Congregatio in § 5 contrarium determinat: sic enim ait S. Congr. omne dammabile lucrum ab Ecclesia removere volens, prohibet sacerdoti qui Missam suscepit celebrandam cum certa eleemosyna, ne eamdem Missam alteri, parte eiusdem eleemosynae sibi retenta, celebrandam committat. Ultra DD. alios invenies etc. ».

102. In resolutione immediate sequenti auctor idem refert Fr. Bordoni sententiam qui contenderat, allegato ipso Diana, post Urbani decreta posse in casu partem collati stipendii a primo acceptante sine peccato retineri. Qua relata:

« Sed ego, subiungit, hanc sententiam non admitto in p. 1, tr. 14, Resol. 10 (quae est iuxta veterem ordinem ipsa resolutio quam heic transcripsi) et in loco paulo supra citato (15) non facio pro Bordono, nam loquor in casu quo stipendium pingue fuit datum, non solum pro Missa celebranda, sed etiam intuitu personae, quae Missam celebrare debebat ».

Subinde in Resolutione XXVII, ipse concedit « speculative loquendo » excessum stipendii, etiam post Urbani decreta, probabiliter posse a primo retineri si celebrans Missam sponte cesserit iuri suo in ipsum. Atvero, « in praxi » vel nunquam, vel nimis circumspecte reducendam esse puto, nam ut recte observant uterque Lugo Ioannes et Franciscus... « prudenter timeri potest etc. » ut a Card. De Lugo paulo superius audivimus. Tandem, reiecta etiam opinione quam prius habuerat, retinentem illum excessum non pec-

(15) Scil. a Bordono, Res. 11 et 12 ibid.

care mortaliter post supradicta decreta, neque obligari vel ad restitutionem vel ad reficiendas Missas, docet capellanum decreto illo non includi quippe cui stipendium datum est etiam titulo beneficii, et concludit in Resolutione XXX ad quaesitum:

« Utrum sacerdos qui a viro amicissimo accipit pro dicenda Missa duplicatum stipendium, possit per alium sacerdotem satisfacere, dato ei iusto stipendio: Respondeo cum distinctione. Vel enim illud duplicatum stipendium datum fuit praecise et simpliciter pro Missa; vel datum fuit non solum pro Missa dicenda, sed etiam intuitu personae, quae Missam celebrare debebat, utpote quia amicus vel coniunctus. Si in primo casu puto non satisfacere, secus autem in secundo ».

103. Diana igitur intendit non Suarezio quem citaverat solum pro prima ex tribus sententiis a se recensitis, sed potius Vasquezio adhaerere, quippe quem pro tertia allegat. Ex altera parte tamen ipse suam conclusionem demonstrat eadem illa ratione qua Suarez suam firmaverat: ex eo quod scilicet primus acceptans, stipendium faciat suum per donationem offerentis ipsum: « sacerdos dominium accepti pinguioris stipendii acquisivit, » ait ipse. Unum nihilominus est discrimen Suarezium inter et Diana, ex quo praecise sequitur hunc non illi sed nostrae assensisse sententiae: nimirum dum Suarez absolute atque universaliter asserit quemcumque sacerdotem quoties stipendium manuale accipit pro Missa celebranda, toties et semper dominium stipendii statim acquirere, Diana e contra hoc ipsum non absolute et universaliter asserit, sed SUB CONDITIONE TANTUM, quemadmodum et ego superius n. 31 libenter concessi conclusionem Suarezii fore veram si illa conditio de facto fuerit comprobata; negavi tamen eam comprobari in collatione stipendii manualis cuius UNICA ATQUE EXCLUSIVA CAUSA est actualis Missae applicatio. Iamvero Diana eadem omnino ratione vult illam suam conditionem verificari ut conclusionem approbare possit: nam in resolutione sequenti mentem suam explicans, id expresse monet: « loquor (in resolut. 11 et 12 quas allegaverat Bordonus) in casu quo stipendium fuit datum NON SOLUM PRO MISSA CELEBRANDA, SED ETIAM INTUITU PERSONAE »: quibus verbis clare significat se con-

clusionem affirmativam, oppositam, retinere tantum in casu quo stipendium fuerit datum SOLO MISSAE INTUITU. Rursus idipsum expresse asserit in resolutione XXX, supra a me transcripta, in fine: « Si in primo casu, PUTO NON SATISFACERE », primus autem iste casus est quod « duplicatum stipendium datum fuit praecise et simpliciter « pro Missa » nequaquam vero « etiam intuitu personae ».

104. Diana itaque nobiscum fuit. Neque obstat huic demonstrationi id quod ipse subiicit, S. Congregationem nempe contrarium determinasse: nam hoc vetitum Ecclesiae, quemadmodum etiam praesens Decreti *Ut debita*, articulus 9^{us}, ei correspondens, cum nihil expresse edicat de inducta per positivam legislatoris voluntatem obligatione iustitiae commutativae, intelligi debet iuxta rei naturam et contractus de facto initi, adeo ut vetet stipendii diminutiones sub obligatione quidem iustitiae quoties in facto initus contractus illam excluserit, ex sola vero obligatione obedientiae et iustitiae legalis, propter periculi praesumptionem, quoties contractus de facto initus illam per se non excluderet. Diana igitur sententiam suam et argumentum quo eam firmaverat, eo ipso quod est conditionata non vero absoluta assertio, optime poterat retinere, quoad exemptionem a restitutione facienda, quoties verificaretur in facti specie conditio sub qua suam sententiam ante Urbaniana Decreta restrinxerat. De Suarezio vero idem dici nequit, uti manifestum fit ex antea disputatis.

105. Antoninum Diana plene sequitur RAPHAEL AVERSA Ord. Cl. Reg. Min. Theologus gravis et probabilista, ei coaevus, uti legere est in tractatu de Eucharistiae Sacramento et sacrificio etc. Bononiae edito, anno 1642, Quaest. 11, Sect. 17, *Sexto;* quem locum integrum refero non quod speciale quid adiungat iam relatis, sed quia opus theologicum huius insignis viri, hodie non facile reperitur:

« Supposita ex consuetudine vel lege hac taxa stipendii, licitum fortasse videbatur, ut sacerdos, accepto certo stipendio, non totum alteri sacerdoti ad pro se celebrandum tribueret, sed partem aliquam sibi retineret. Sed tamen, hoc etiam in iisdem decretis De celebr. Missar.

expresse interdicitur, et ut totum acceptum stipendium sacerdoti celebraturo reddatur iniungitur. Non tamen per hoc intelligitur prohiberi, quominus beneficiatus etc.... et similiter id poterit capellanus salariatus, ut notant Lugus.... et Diana.... Sed sacerdos qui ab aliquo accepit superabundans stipendium pro Missa, debebit tunc integrum tribuere alteri sacerdoti, cui vult Missam remittere, ut declaratum est a S. Congr. ad 9. Quod debet intelligi, NISI ALIUD CONSTET de intentione primi offerentis, si videlicet tamquam peculiaris amicus et benefactor voluerit ei dare excessum animo liberali, ratione amicitiae et intuitu eius personae. Item nec prohibetur, quominus administratores Ecclesiarum etc.... ut eadem S. Congr. declaravit ad 7. Nec etiam prohibetur.... quando alter scienter et sponte consentit: sicut et posset mere gratis, nullo recepto stipendio celebrare: ut notant Lugus.... et Diana.... cum aliis quos refert ».

Simili ratione citatur ab auctoribus huius aevi FRANCISCUS DE LUGO S. I., frater Cardinalis Ioannis, in eumdem sensum. Cuius tamen opus De septem Ecclesiae Sacramentis, Venetiis editum anno eodem 1652, quo auctor vita functus est, reperire mihi non obtigit.

106. Tandem relatis theologis adiungi apte potest etsi paulo serius ediderit suum opus, ANTONIUS DE ESCOBAR S. I. (mort. a. 1669), quem S. Alphonsus et ipse nostrae sententiae refert. Auctor est benignus quidem nec semper admodum solidus in probatione producenda: at satyra Iansenistica *Litterarum Provincialium* prohibere haud potuit quominus omnino bene meruerit de morali theologia, ut scripsit Hurter (16). Opus eius theologicum morale, hispanice etiam multoties editum, latine redditum Lugduni ab anno 1652 ad annum 1663 fuit completum. In eo Lib. 21, a n. 260 et seq. haec leguntur:

« Problema CXLIV. Qui pinguiora recipit pro Missis stipendia, potest et non potest aliis dare tenuiora.

« POTEST PLANE, dummodo stipendia dentur ei pro Missis ab eo celebrandis, ac per consequens IPSE DOMINIUM ILLARUM ACQUIRAT et non sit simplex dispensator; et celebranti iustum conferat stipendium. Quia sacerdos accipiens stipendium pro Missa a se celebranda acquirit dominium illius sub obligatione faciendi sacrum pro dantis intentione, quam certe potest per se vel per alium implere. Quare dum postea dato iusto stipendio satisfacit obligationi suae per alium sacerdotem, etsi

(16) Nomencl. II, 266.

partem pecuniae receptae sibi retineat, nulli facit iniuriam: non celebranti, cui iustum impendit stipendium; non petenti Missam, cui totus Missae fructus applicatur. Ergo nullam perpetrat iniustitiam, ac proinde probe id gerere potest. Sic Suarez.... Vasquez.... Naldi v. Missa n. 4; Homob. In *exam.* p. 1, tr. 8, c. 14, q. 131; Sà v. Missa, n. 45; Manu. in Summ. tom. 1, q. 150, n. 9; Reginald.... Possev. Bonac.... ».

« MINIME POTEST, QUIA VOLUNTAS DANTIS STIPENDIUM EST UT TOTUM ILLUD TRIBUATUR SACERDOTI CELEBRANTI pro dantis intentione, ne dans stipem fraudetur fructu qui crescit ex eleemosyna maiori celebrantibus collata, quatenus honorat Deum de substantia sua, ministrum eius ubertim sustentando. Et quia qui sedulo conquirunt plures et pingues Missarum stipes, quas minoribus stipendiis licet iustis per alios faciant celebrari, saltem prae se ferunt speciem quandam turpis lucri et sordidi quatenus rem sacerrimam faciunt materiam negotiationis quae propterea merito detestanda sit ac nullatenus permittenda. Ita Mayor.... Navarr.... Cord.... Aragon.... Molfes. Tr. 3, c. 18, n. 25; P. De Ledesma.... Moure p. 3, c. 5, § 9, n. 6; Diana.... Card. De Lugo, D. 21, n. 29; Aversa Q. 11, sect. 17 ».

« Profecto, quamvis iuxta ius naturale posset prima sententia sustineri, si iusta causa cohonestetur, v. g. si quis sacerdos multas acceperit pinguiores stipes et non posset omnes Missas dicere, nec habeat unde commode restituat, posset aliis sacerdotibus, data minori stipe, commendare. Verum POST DECRETA S. CONGREGATIONIS, QUAE VIDENTUR IN HAC PARTE NOVUM ius praescribere, tenendam in praxi secundam sententiam iudicariam cum Doctoribus, qui post illa decreta scripsere, et cum limitationibus quas eadem Congregatio subtexuit, ad quaedam dubia sibi proposita respondendo: quas videre licet apud Fr. De Lugo De sacram. L. 5, c. 12, q. 7, n. 71 sq. ».

107. Ita ille auctor, qui hac sola unius quaestionis expositione vere deprehenditur apprime mereri notam minus profundi rationum investigatoris quae ab Hurter atque ab aliis ipsi inuri solet. Coepit enim distinguere discrimen illud quod paulo antea advertimus Suarezium inter et Diana; eam tamen distinctionem cum consectariis plenius penetrare nescivit; ac in rationem extrinsecam necessitatis excurrens, qua primus acceptans omni stipe iam consumpta premeretur, modum quaerit praxim EXCUSANDI. Tota quaestio enim etiam in eo necessitatis casu aperta remanet, utrum nempe stipendium integrum primitus acceptum, celebranti debeatur necne; atque utrum gravis illa necessitas qua miserrimus sacerdos urgetur, praebeat solummodo motivum praesumendi ex parte eius condonationem et cessionem iuris quod

ipsi favet. Nihilominus sententiam Suarezio adversam in praxi retinendam docet, quemadmodum et ipse S. Alphonsus postea fuit contentus docere quin ulterius rationem rei intrinsecam investigaret plenumque explicaret motivum S. Sedis. Innuit tamen sibi videri *novum* ius his decretis induci, quod minus scite dici iam demonstravi in scholio cap. I, saltem si intelligatur ius ideo **novum** quia per ipsum obligatio **iustitiae commutativae primum** inducatur a legislatore humano.

108. Punctum controversiae e contra perfecte attigerat, Antonio Escobar alter coaevus doctor, ZACHARIAS PASQUALIGO Theatinus, vita functus anno 1664. Huius classicum opus *De sacrificio N. L.*, Romae approbatum fuit a Magistro S. Palatii anno 1658 et Lugduni editum, anno 1662, dedicatumque Alexandro VII. Auctor in Quaest. 1185, postquam retulit Bordoni opinionem de qua paulo infra audiemus etiam Iac. Pignatelli disserentem:

« Haec doctrina, subiungit, enervat totam vim illius decreti (scil. Urbaniani § 4), neque est verisimile quod S. Congr. hoc speciale decretum edidisset, si voluisset tantum obligare ad veniale, quia secluso etiam hoc speciali decreto vix poterat excludi peccatum veniale, et ante decretum plures viri graves qui admittebant opinionem quod potest retineri pars stipendii, adhuc tamen cognoscebant in praxi huius opinionis aliquid indecentiae; et dicunt talem opinionem non esse consulendam, quia sapit turpem negotiationem. Et ex dictis supra constat, quod materia sit gravis atque adeo graviter prohibita ».

« Dicendum est *retinentem sibi partem stipendii etiam si faciat celebrare Missam exhibendo stipendium taxatum, tenetur ad restitutionem.* Hoc autem intelligitur primo, si non adsit consensus illius qui dedit pingue stipendium saltem interpretativus, et sub ratihabitione. Secundo si pars stipendii quae retinetur sit materia notabilis; alioquin si esset materia levis esset tantum peccatum veniale: gravitas enim vel levitas materiae in praesenti attendenda est secundum quantitatem stipendii quae retinetur. Etc. ».

« Ratio est:... laeditur iustitia quia non tribuitur alteri quod suum est. Hoc autem contingit in praesenti casu: nam dans pingue stipendium totum dat INTUITU ONERIS QUOD IMPONIT, ET INTENDIT DARE PRO SUSTENTATIONE SACERDOTIS CELEBRANTIS, ITA UT TOTUM DET INTUITU TANTUM MINISTERII, UT SUPPONITUR, NON PROPTER AMICITIAM ETC. et proinde stipendium est addictum oneri ET EXHIBITIONI MINISTERII OFFERENDI SACRIFICIUM, ET NON ACQUIRITUR NISI AUT SUB CONDITIONE AUT

SUB MODO, atque adeo resolubiliter exhibendi ministerium offerendi sacrificium, et ideo transit cum ipso onere et pertinet ad eum qui onus adimplet. Ergo qui retinet partem stipendii, retinet id quod de iure est debitum exhibenti ministerium celebrandi pro ipsius sustentatione, tum ex natura ministerii, tum ex destinatione exigentis ministerium ».

109. « Confirmatur: Dato quod ille qui primo accipit eleemosynam in ordine ad celebrandum, acquirat dominium ipsius, acquirit tamen in quantum suscipit onus, et se obligat ad celebrandum et TOTUS TITULUS ACQUISITIONIS CONSISTIT IN SUSCEPTIONE ONERIS. ERGO SI RESOLVITUR TITULUS ACQUISITIONIS, RESOLVITUR ETIAM ACQUISITIO, QUAE SOLUM FUNDATUR IN TITULO. Titulus autem acquisitionis est resolubilis, quousque satisfactum sit oneri suscepto, quia acquisitio non est absoluta sed sub modo, seu onere celebrandi, et ideo dependet ab illius adimplemento, quod si non sequatur, revocari potest stipendium et qui accepit tenetur restituere. Titulus autem acquisitionis resolvitur quando onus celebrandi transfertur in alium, quia transferens exuens se onere, exuit etiam se illo iure, quod secum affert onus, nempe exigendi sustentationem titulo ministerii et tale ius acquiritur suscipienti onus. Ergo si retineat sibi partem stipendii, retinet id quod de iure alteri acquiritur, et ad quod ipse perdit ius et consequenter tenetur restituere ».

« Confirmatur secundo: Totum stipendium, quod datur sub titulo eleemosynae, datur pro sustentatione intuitu ministerii celebrandi. Ergo sub eo titulo acquiritur tantum, sub quo datur, quia dare et acquirere correlativa sunt, ita ut non possit acquiri alio titulo, nam regula correlativorum est regula parium et quod non convenit uni, non potest proportionaliter convenire alteri. L. *Iulianus § Si procuratur* ff. *De act. empt.*: et ratio est quia dans intendit tantum dare sub tali titulo, acquisitio autem regulatur secundum intentionem dantis; nam non potest acquiri quod est ipsius dantis, nisi quatenus ipse intendit dare. Ergo cum totus titulus acquirendi sit tantum penes celebrantem, ille tantum poterit acquirere totam eleemosynam; et qui primo eam accepit, non poterit aliquid sibi retinere, quia titulus acquirendi qui prius fuerat penes ipsum resolubiliter tamen, desinit esse et in alium transfertur. Haec autem procedunt non solum stantibus decretis de celebr. Missar., SED ETIAM EX NATURA REI, CUM FUNDENTUR IN IMPOSITIONE ET ASSUMPTIONE ONERIS.

Haec profecto adeo perspicua et decisiva sunt, ut vix melius exprimi possent. Mirum est sane hunc textum a S. Alphonso fuisse praetermissum. Cuius sedulam perquisitionem effugit etiam Responsum S. Congregationis Concilii cum explicatione quam de eo dedit alius doctor et ipse omni exceptione maior, Iacobus Pignatelli. De quibus in sequenti statim agendum.

110. Huic aetati referri etiam debet Tractatus *De Sacrificio Missae*, quem iam ante annum 1656 THOMAS TAMBURINI e S. I. primum ediderat atque antequam anno 1675, moreretur, ipse pluries recuserat. Hoc opusculum vulgatissimum fuit deinceps usque ad S. Alphonsi tempora atque a Franc. Zacharia cum ceteris eiusdem auctoris operibus vindicatum ab impugnationibus Vinc. Baron aliorumque rigoristarum.

Porro Tamburini benignitate illa sibi propria, quae ab eius adversariis conclamata fuit excessiva, nequaquam impeditus fuit quominus punctum praecisum solvendae praesentis quaestionis, accuratissime indigitaret in commentario Decretorum Urbani VIII, ita enim ipse, l. c. Lib. III, S. V, n. 4 et 5.

« Denique (fuit dubitatum) an ille cui datur stipendium manuale maius solito, pro Missa, debeat totum dare alteri, cui forte illam celebrandam committit. Respondit (S. Congr.) ibidem n. 38, debere totum dare. Vides discrimen? Id quod concessum est beneficiato habenti forte pingues redditus pro onere Missarum, negatur recipienti eleemosynam manualem pro Missis. Et quidem merito, nam huic fideles TOTAM ELEEMOSYNAM DANT PRO IPSA MISSA ; ibi fundatores dant ETIAM pro ipsa commodiore sustentatione beneficiati, ut alacrius serviat, etc. ».

§ 5. — Quaestionis evolutio in altero dimidio Saeculi XVII.

Declaratio S. Congr. Conc.; Iac. Pignatelli; Propositio 9ª inter damnatas ab Alexand. VII; G. Gobat; H. Busembaum; I. Illsung; D. Viva.

111. Anno 1664, die 5 Iulii, S. Congregatio Concilii tria responsa edidit a SS.mo approbata, *in una Anconitana*, quae transcripta legi possunt in nota subiecta numero margin. 6 huiusce dissertationis. Ea integra non solum August. Matteucci in opere *Officialis Curiae*, sed etiam Ubaldus Giraldi in sua expositione iuris Pontificii, anno 1769 retulit atque iam ab anno 1760 in nova editione inseruerat operis *Caroli Thesaurus, De poenis*, centum et viginti annis antea primum ab auctore Romae editi. Aetate nostra, quamvis a Salvat. Pallottini in sua *Collectione* memoretur ex lib. 24 Decretorum pag. 196, in Archivio S. C. asservato, vix tamen ac ne vix quidem ab ullo fuit animadversum huiusmodi decretum.

Agebatur, ut explicat Pallottini, de casu sacerdotis qui sciens stipendium pinguius fuisse primo collatum, Missam celebrandam sibi susceperat pro minori, dum simul praevidebat se omni alia stipe secus privatum iri. Quaesitum autem ea occasione fuerat a S. Cong. utrum poenae praescriptae in § 2 Urbanianae Constitutionis (quod scilicet ii qui non curaverint tot Missas celebrari, quot praescriptae fuerint, SUAE OBLIGATIONI NON SATISFACIANT, - PECCENT MORTALITER, - ET AD RESTITUTIONEM TENEANTUR) referendae etiam essent ad § 4 ubi vetatur ne Missa pro determinata stipe accepta, alteri, ea diminuta, celebranda committatur.

112. Ecce itaque quomodo Iacobus Pignatelli, Tom. IV, Consult. 227, huiusmodi interpretetur S. Congr. declarationem:

« Ne ex hac declaratione aliqui sacerdotes ansam forte sumant opinandi, ipsum quartum decretum impune violari posse, ideo quaeritur, cuinam reatui atque obligationi sacerdos adversus dictum quartum decretum committens, subiaceat, non quidem ex vi praecedentis secundi decreti, sed EX MALITIA ACTUS in ipso quarto decreto prohibiti. 1) An scilicet peccet mortaliter? — 2) An muneri suo satisfaciat? — 3) An ad restitutionem teneatur? »

Adverte auctorem his verbis evidenter excludere illam interpretationem qua dicerentur illa tria consectaria delicti expressa in secundo decreto, non esse nisi puras *poenas* a legislatore inflictas, non vero declarationes *naturae* ipsius delicti. Id ipse Pignatelli subinde expresse dicit, subiungens:

« Et quidem non posse sacerdotes tam saeculares quam regulares unica Missa satisfacere obligationi celebrandi contractae ex pluribus stipendiis acceptis, DESUMITUR EX OBLIGATIONE MUTUA, quae consurgit inter secerdotem et dantem stipendium ».

Quod ipse statim uberius explicat et auctoritate communi Theologorum confirmat concludens inde:

« Quibus verbis S. Congr. NON PRAECIPIT restitutionem, sed DECLARAT, cum huiusmodi restitutio fieri debeat ex natura, secluso quovis decreto iuris positivi »... « Et haec quidem perspicua sunt ».

« Solum igitur, prosequitur ipse, difficultas est circa quartum decretum eiusdem S. Congr. ».

Relataque Fr. Bordoni sententia qui iam antea docuerat non peccari mortaliter in casu neque urgere obligationem restituendi partem stipendii detractam, oppositum demonstrat esse « omnino tenendum » primo ex auctoritate Doctorum qui « fere communiter » id docent. Deinde

« Ex eodem decreto S. Congr., in quo declaratur finem huius prohibitionis esse removere ab Ecclesia omne damnabile lucrum. Si enim lucrum est damnabile, oportet quod sit illicitum, ac proinde quod eius prohibitio tum ex intentione, tum ratione materiae sit gravis. Etc. ».

« Secundo ex natura rei. Nam retinens sibi partem stipendii non habet iustum titulum retinendi, et ideo laedit eum in quem transfert onus celebrandi Missas, ac eum a quo accepit stipendium. Quia cum recipiens stipendium ipsum non acquirat NISI RATIONE OBLIGATIONIS AD OFFERENDUM SACRIFICIUM, TAMQUAM CUM IPSA ANNEXUM, eo ipso quod abdicat a se obligationem, abdicat TITULUM RETINENDI STIPENDIUM, et retinendo facit contra voluntatem illius qui dedit. Siquidem destinavit pro sustentatione celebrantis et non pro lucro alterius ».

113. Prosequitur ipse confutando alteram Bordoni cavillationem et subinde:

« Nihilominus tenendum est retinentem sibi partem stipendii etiamsi exhibeat stipendium taxatum, teneri ad restitutionem, ac proinde non satisfacere suae obligationi. Quia tunc contrahitur obligatio restituendi, quando laeditur aliquis in iure suo, ita ut ei non solvatur quod est debitum. Dans autem pingue stipendium, totum dat intuitu oneris quod imponit, et intendit dare intuitu tantum ministerii, non propter amicitiam, et ideo transit cum ipso onere, et pertinet ad eum qui onus adimplet. Ergo qui retinet partem stipendii, retinet id quod de iure est debitum exhibenti ministerium celebrandi, atque adeo non satisfacit suae obligationi ».

« Hinc licet detur stipendium congruum et taxatum celebranti, fit tamen ipsi iniuria quia non datur totum quod ipsi debetur. Nam cum totus titulus acquirendi eleemosynam pro celebratione, quantacumque illa sit, tantum sit ad ipsum, et nullo modo apud eum qui eam primo accepit, quia dum non celebret, sed in alium transfert onus, TOTUS TITULUS QUEM HABEBAT, RESOLVITUR, dum ipsi non exhibetur integra eleemosyna, non datur quod de iure est ipsi debitum et ideo fit ipsi iniuria. Unde nec retinens partem eleemosynae retinet quod suum est, quia transferendo onus celebrandi in alium, AMITTIT IUS AD TOTAM ELEEMOSYNAM. Quare peccat contra iustitiam et proinde obligatur ad restitutionem.

« Atque ita declaravit eadem S. Congregatio in dicta Anconitana Eleemosynae, sub die 5 iulii 1664, cuius declarationem authentice vidi et legi et ex parte consului, nempe, *ad primum, peccare mortaliter. Ad*

secundum, negative in casu, et ad effectum de quo agitur, *hoc est non satisfacere muneri suo quoad distributionem eleemosynae, licet satisfaciat quoad sacrificium Missae. Ad tertium, affirmative.* Unde non est amplius de hoc dubitandum ».

Ita gravissimus ille Doctor cuius auctoritas maximi aestimata fuit semper usque hodie in Curia Romana.

114. Porro eadem constanter servata deprehenditur ratio huiusmodi causas decidendi in S. Congregatione Concilii, cuius nonnulla responsa collecta legi possunt in *Thesauro Resolutionum*, Tom. V, pag. 146 et sq. 16 Iunii 1731 (17). Aetate nostra eadem doctrina iterum proposita et approbata fuit die 31 Ianuar. 1880 *in Lugdunen. Super eleemosynis Missarum*, Tom. 139, pag. 41 sq., ubi in fine asseritur « hanc theoriam utpote S. Canonibus consentaneam, H. S. O. pluries confirmasse » et speciatim memoratur alterum responsum diei 25 Iulii 1874. *In Colonien.* scilicet, *integram eleemosynam solvendam esse, nisi morali certitudine constet excessum communis eleemosynae oblatum fuisse intuitu personae ipsius parochi.*

Cuius rei testis iam fuerat initio saeculi XVIII, Augustinus Matteucci O. M. cuius opus, *Officialis Curiae*, Romae anno 1709 primum editum et deinceps alibi saepe recusum, magna fruitur auctoritate in huiusmodi materia. Ibi porro Cap. X, § 2, n. 48 tota quaestio accurato compendio refertur allegato ipso Iacobi Pignatelli testimonio.

115. Ex eo sensu qui tunc certe praevaluit in Curia Romana datur nobis intelligere mentem qua anno sequenti, 1665, occasione controversiarum quas suscitaverant Fr. Bordoni et praesertim Philibertus Marchini, Alexander VII damnavit propositionem 9^am^ quam in nota 1 capitis I retuli. Videtur enim ambigi non posse quominus verbum *satisfacere* in ea propositione adhibitum supponat pro ea significatione exhibenda in tota sua extensione et comprehensione, quam anno immediate antecedenti adeo aperte et intellexerat et expres-

(17) Alia recentiora decreta referuntur a I.^i^ Frassinetti adnotatore, edit. 5, II pag. 121, ex *Act. S. Sedis*, IV, pag. 557; a I. A. Del Vecchio, ad op. Petri Scavini IV, 419 seq.; in *Monitore Ecclesiastico* I, pag. 462, seq.

serat S. Congregatio Concilii in materia suae strictae competentiae per decretum ab eodem Pontifice approbatum.

Ita revera sensum huius propositionis intellexit coaevus auctor GEORGIUS GOBAT e S. I. qui in primo tomo *Theologiae experimentalis*, Monachii primum anno 1669 et deinde novis ipsius auctoris curis Einsiedeln, anno 1678 editae, tract. III, n. 570 ita scribit: « Non est iam probabile absolvendum esse a confessario sacerdotem qui, accepto pingui stipendio pro pluribus Missis, reservat sibi partem illius, reliquum autem satis pingue dat alteri, ut eas Missas legat: etenim nigro theta notatur ab Alexandro VII haec enuntiatio: *post decretum Urbani* etc. » N.ro autem subsequenti Tamburinium appellat.

Eadem ratione intellexit Urbani decreta et propositionem ab Alexandro damnatam, ANACLETUS REIFFENSTUEL in sua *Theologia morali*, anno 1692 primum edita, Tract. XIV, Dist. V, n. 95 sq.

116. Nihil sane deerat ut res dici posset definita et lis terminata, praeter quam quod illa decidendi ratio promulgata authentice foret non tantum in applicatione ad casum particularem, sed etiam ad instar principii universalis ab omnibus retinendi. Quae promulgatio expressa cum defuisset, inde contigit ut multi qui intestinam rei rationem non eadem claritate perspiciebant sicut praedictus Pignatelli, contenti essent praxim servare et commendare in virtute solius praecepti S. Sedis, quin tamen existimarent quaestionem esse authentice definitam quoad principia fundamentalia iustitiae commutativae: inde tolerantia explicatur, quae invaluisse reperitur apud auctores aevi subsequentis, relate ad opinionem Suarezii, quae fere sine discussione inturbata relicta fuit in sua possessione, profecto etiam propter eximium nomen auctoritatemque auctoris sui.

117. Huic tolerantiae introducendae forte non immerito aestimari potest contulisse maximus favor quo tunc temporis in scholis omnibus recipiebatur *Medulla* HERMANNI BUSEMBAUM S. I. Nimirum hic auctor Monasterii Westphaliae, vita functus 31 Ianuarii 1668, annos natus 68, notitiam

nondum acceperat sive responsi S. Congr. Concilii anni 1664, quod supra retuli, sive propositionis 9^ae^ ab Alexandro VII damnatae. Revera in editione 39 quae Monasterii, anno 1667, ante auctoris obitum, « correctior et auctior » recusa est, quamque ego manibus verso, nulla mentio occurrit harum authenticarum S. Sedis declarationum; conclusio *practica* (unde resolves VI.) simpliciter traditur quae potuit quaestioni convenire in primo dimidio saeculi XVII, quando scilicet ratio decidendi a Suarezio adhibita, nondum fuerat communi Doctorum suffragio dissoluta et derelicta: id enim confirmatur ex auctoribus quos Busembaum appellat in quaestionibus affinibus: qui omnes ad illam anteriorem pertinent aetatem; in praesenti porro solutione ipse nullum citat praeter Card. De Lugo et quidem pro altera doctrina indirecte tantum connexa. Sane in ea editione, Lib. VI, Tract. III, Dub. I, Res. VI:

« Qui pecuniam ab alio accepit, ut pro illo celebret, aut fieri curet, per se loquendo, potest curare Missam per alium bonum sacerdotem, minus dando, quam accepit. Dixi I, *Per se:* Quia Urbanus VIII ob speciem turpis quaestus, id fieri vetuit. – Dixi II, *Bonum:* quia si per malum curet, perditur fructus, qui est ex opere operantis speratur (sic). *V. Card. De Lugo l. c.* ».

Qui locus est in tract. De Euchar. Disp. XIX, n. 239.

118. Haec verba evidenter assumunt proibitionem Urbani innixam fuisse tantummodo in praesumptione periculi turpis quaestus; quoad vero rationem intrinsecam, ex natura iniți contractus desumptam, ex qua audivimus Iacobum Pignatelli responsum S. Congregationis adeo perspicue enarrantem, Busembaum contentus est se referre ad privatorum DD. auctoritatem prout usque ad ea tempora in scholis viguerat: ita enim in *Medullae* praefatione: « nihil, ait, certum asserui, nisi vel ex communi Doctorum sententia deductum, *vel desumptum ex probatissimorum Auctorum libris scriptisve; eorum in primis, qui hic eximia cum laude versati sunt* ». Hos autem ultimos ipse nominat P. Hermannum Nunning, P. Fridericum Spe et P. Maximilianum Buchier, qui ante ipsum in diversis Germaniae Academiis Theologiae professores exstiterant.

Mox tamen CLAUDIUS LACROIX eiusdem Busembaum commentator, hanc eius scientifici patrimonii lacunam complevit; non tamen ita cito ut praeveniret largissimam diffusionem quam praesens Busembaum textus, innumeris editionibus in toto orbe catholico consecutus est labente saeculo XVII atque ineunte XVIII. Claudii Lacroix opus quoad partem de Eucharistia, lucem non vidit ante annos 1712 ad 1714 (18).

119. Hermanno Busembaum suppar aetate fuit IACOBUS ILLSUNG S. I. (mort. a. 1695), Ingolstadiensis Universitatis Cancellarius. Hic porro in *Theologia morali* quam Dillingae primum edidit anno 1693, postquam novennium hanc scientiam Ingolstadii docuerat, in Tract. De sacrif. Missae, n. 169, de hac stipendii translatione diminuta scribit:

« In tali casu nempe seclusa lege positiva non laeditur ius solventis stipendium quippe qui VOLUNTARIE et valide transtulit dominium stipendii, neque determinate, ut suppono, obligavit accipientem, ut per se ipsum Missam persolvat, neque laeditur ius substituti, quia datur ipsi stipendium iustum et dominium stipendii maioris est ABSOLUTE translatum in eum cui immediate persolutum est ».

Hypothesim idcirco *assumit* sine probatione, Illsung, stipendii omnino *liberaliter* et ABSOLUTE, ut ait, collati. Qua assumpta, profecto recte concludit. Proinde et nos iure assumere valemus ipsum, in hypothesi opposita quam reticet, et oppositam voluisse deducere conclusionem. Nobis igitur magis favet hic auctor; vel saltem adversariis nequaquam aperte favet.

120. Interim in ipso saeculi XVII fine, Neapoli theologiam moralem docuit per octo annos DOMINICUS VIVA e S. I. qui anno 1708 primam editionem dedit celeberrimi operis *Damnatae theses etc. ad trutinam theologicam revocatae.* Porro *in Prop. IX Alexandri VII*, n. 1, hic auctor sicut et Busembaum, statum quaestionis respicit prout ab auctoribus propositus fuerat eo saeculo ineunte: relato enim Urbani decreto, sic prosequitur:

« Probabiliter ex Suarez, Vasquez, Bonacina D. 4 De sacr. q. ultima, hoc non est vetitum IURE NATURALI, dummodo alteri detur stipendium

(18) Cf. Sommervogel, IV, 1348.

iustum, et solum retineatur excessus stipendii accepti pinguioris: quia sic nec irrogatur iniuria eroganti stipendium, cum revera detur illi sacrificium quod promissum est; neque sacerdoti celebranti, cum detur ipsi stipendium legitime taxatum. Quia tamen huiusmodi sordidum lucrum plurima secum trahit incommoda, praesertim quod sacerdos celebrans non excitetur ad orandum in sacrificio eo speciali affectu, prout videtur velle, qui erogat illud pinguius stipendium: idcirco iure merito ab Urbano VIII lucrum hoc vocatur damnabile, et prohibetur; esto antecedenter ad hanc prohibitionem Pontificiam, malitiam ab intrinseco PROBABILITER non contineret; cum potuissei aliter illi obviam iri, puta si retinens sibi illum excessum stipendii, specialiter oraret pro eo qui eleemosynam erogavit ».

121. Quae profecto sunt ex illis tribus auctoribus et praesertim ex Bonacina, mere transcripta et quaestionem non finiunt; mirumque est Viva ne uno quidem verbo innuisse rationes oppositas quibus tot et tam graves auctores ante ipsum, superius a me relati, v. gr. Ledesma, Pasqualigo, Laymann etc. probabilitatem illam ut minimum dicam, nutantem et valde dubiam effecerant, sin etiam totaliter subverterant.

Quaestione idcirco inadaequate atque sub uno solo aspectu proposita, pronum erat Dominico Viva, aliquantulum deflectere a recta via ulterioris interpretationis atque S. Sedis decreta intelligere tamquam meram prohibitionem praxis, ex *praesumptione periculi*, non vero sine haesitatione et cum plena certitudine tamquam declarationem iustitiae commutativae per contractum traditi et accepti stipendii manualis, inductae. Nondum enim adverterat egregius vir id quod paulo serius Schmalzgrueber et Sporer expressissime ipsi adhuc viventi dicturi erant; stipendium manuale scilicet, non posse PRAESUMI sed toties quoties debere probari datum ex intentione etiam liberali,praeter exclusivam CAUSAM unius sacrificii applicandi; ideoque si Missa tradatur alteri tertio celebranda, totum priorem contractum resolvi ex NON CAUSA, pro primo qui eam accepit. Cum igitur Viva noster hanc decisivam rationem nondum perspicue advertisset, nec legisset Pignatelli responsum S. Congregationis Conc. enarrantem anni 1664: contentus fuit proponere tamquam probabiliorem tantum et sibi saltem magis arridentem, sen-

tentiam oppositam illi quam videbat Suarezii aliorumque supparum auctoritate commendari. Ita enim, postquam Marchini, Acacii De Velasco et Bordoni excessus refellit, qui fuerant ab Alexandro VII in propositione IX damnati, ipse prosequitur his verbis, n. V:

« Addo videri contra iustitiam, SALTEM (19), POSITA PROHIBITIONE PONTIFICIS huiusmodi lucrum retinere. Pontifex enim ea lege declarat, quod stipendium pro Missa celebranda relictum, quantum est, sacerdoti celebranti debeatur, non vero sacerdoti per alium satisfacienti, prout VIDETUR esse mens tradentis pingue stipendium, forte ut celebrantem excitet ad orandum cum affectu speciali: propterea sacerdos retinens sibi excessum stipendii iusti, videtur retinere quod alteri debetur, atque adeo peccare contra iustitiam graviter, nisi parvitas materiae excuset, et ad restitutionem teneri ».

« VI. Neque dicas cum Bon. l. cit. Sacerdotem cui traditur stipendium pingue ad Missam celebrandam, non esse mere executorem talis dispositionis, sed evadere dominum illius stipendii cum onere, quod Missa sive a se, sive ab alio celebretur: unde si ab alio celebretur sive gratis, sive iusto stipendio, satisfacit obligationi ex iustitia, et ad summum peccat contra obedientiam violando hanc legem, quin teneatur ad restitutionem huius lucri. Nam QUAMVIS HOC NON CAREAT SUA PROBABILITATE, videtur tamen probabilius mentem tradentis pingue stipendium esse, quod dominium illius acquiratur a sacerdote cum honore vel quod ipse celebret, vel quod integrum detur alteri, si per alium satisfaciat, nisi forte illud sponte condonetur; et quamvis id non explicetur a tradente stipendium, explicatur tamen sufficienter a decreto Urbani; propterea videtur huiusmodi lucrum esse restituendum ».

In sequentibus tribus numeris Auctor explicat circumstantias in quibus stipendium accipiens potest sive ex Ecclesiae declaratione, sive ex communi DD. sententia, censeri excusatus a tradendo tertio celebranti, totum omnino quod traditum primitus fuerit stipendium; atque in his se refert plerumque Tamburini doctrinae.

122. Notare iuvat Dominicum Viva ostendere se rationem quae adversae sententiae suffragatur, non plene perspexisse, eo quod insistit in motivo secundario tantum quo Laymann et alii fundare voluerunt suam conclusionem, nempe ratione maioris devotionis ex opere operantis quae donatione

(19) Illud saltem favere videtur illi opinioni quam in scholio cap. I, refutare debui.

stipendii pinguioris in celebrante obtinetur: dum haec non est praecise ratio decisiva conclusionis, quippe quae desumitur ex CAUSA ONEROSA NON VERO LIBERALI initi contractus, quae est exclusive actuale exercitium ministerii unius Missae applicandae; sive donans spectaverit sive non spectaverit effectum inde sequentem maioris excitandae devotionis in actu celebrationis huius Missae. Quae enim secundaria accedunt inepte allegantur ad determinandam rei essentiam et quae *per se* eam constituunt atque ex ea per se fluere demonstrantur.

Haec iam satis sint ut intelligere valeamus quomodo auctoritas qua alioquin omnino iure et pleno merito fruebatur Viva, doctissimus et classicus auctor, concurrerit ad retardandum completum Suarezianae sententiae naufragium toto currente saeculo decimo octavo, ita ut aetate nostra potuerit ipsa ab aliquibus, forte minus caute, ad primaevum possessum recuperandum iterum revocari.

Sed cum Dominico Viva iam ingressi sumus saeculum decimum octavum et epocham quae S. Alphonso immediate praecurrit.

§ 6. — Ulterior quaestionis evolutio in partem affirmativam usque ad aetatem Alphonsianam (1712-1756).

C. Lacroix; A. Matteucci; Fr. Schmalzgrueber; P. Sporer; A. Holzmann; B. Elbel; C. Roncaglia; N. Mazzotta; S. D. Alphonsus de Ligorio.

123. Saeculo XVIII ineunte theologos inter praecelluit CLAUDIUS LACROIX cuius dexteritas in dubiis conscientiae solvendis simul ac brevitas et perspicuitas, scientiae eruditionisque ubertate innixae, tantam approbationem meruerunt ut « domestici, scripsit Hurter (20), perinde ac externi, scriptorum ipsius publicationem flagitarent ». Hic itaque in suo commentario ad Hermanni Busembaum Medullam, De sacramentis, Lib. VI, Part. II, n. 135 e 136 haec habet:

(20) Nomencl. II, 910.

« Qui contra prohibitionem, partem stipendii retinet et facit Missas legi per alium, peccat graviter vel leviter pro quantitate partium stipendii quas retinet, estque PROBABILIUS TENERI AD RESTITUTIONEM FACIENDAM ILLIS QUI MISSAS LEGUNT AUT SALTEM QUI CONSTITUIT, ut notat Pasqual. Q. 969, quia pecuniam acceperat, non ut constitueret Missas pretio quo posset, sed tantum ut acquireret eam titulo celebrationis: ergo quod retinet, QUANDO NON CELEBRAT, RETINET SINE TITULO: ergo iniuste, alter autem qui celebrat, hoc ipso habet ius ad stipendium, Dubois, ad Prop. damnatas, n. 232 ». — n. 136 « Putant Lug. et Aversa q. 11, s. 17, *Sexto,* SI ALTER CUI MISSA COMMITTITUR, SIT CONTENTUS, etiamsi retineatur pars stipendii, nihil peccari, quia sicuti potuit obligationem legendi admittere gratis, ita potest pro minore stipendio: sed recte monent Diana, Steph. t. 5, d. 5, n. 71, Pasq. q. 975, in praxi hoc periculosum esse: nam communiter fiet ut alteram partem remittat, quia timet ne in futurum non committantur sibi Missae, vel videatur ingratus, ideoque potius coacte cedit iuri suo ».

124. Haec referuntur a Lacroix ad decreta et responsa Urbaniana ab Innocentio XII iterum edita, quae superius fuerant integre ab eo relata. Insuper adverto ipsum *maiorem* illam probabilitatem non tribuere obligationi restituendi ex iustitia initi contractus exortae, sed exclusive *determinationi subiecti cui* sit restituenda pars retenta: obligationem enim restituendi, ipse sicut Pasqualigo cui se refert, habet uti certam nec solum probabiliorem. Ita eum S. Alphonsus intellexit resque est manifesta ex ratione quam affert, atque ex modo quo eam affert. Satis enim est legisse nn. 130-133 in quibus refert rationes ab ea restitutione eximentes ut statim fiat manifestum rationem n. 135 allatam ab ipso haberi tamquam decisivam et quidem ex rei natura nec solum ex S. Sedis praescripto. Fatendum tamen est responsa S. Congr. superius allata atque a Pignatelli commentata, eum latuisse.

125. Responsa illa S. Congregationis eodem tempore nihilominus nec Romae nec in Germania oblivione negligebantur: In Romana enim Curia eadem aetate opus AUGUST. MATTEUCCI *Officialis Curiae*, ut § praeced. monui, in Urbe ipsa editum anno 1709, omnium manibus versabatur; atque in Germania FRANCISCUS SCHMALZGRUEBER, eadem responsa, commentabatur eodem omnino sensu ac ipsi Pignatelli et Matteucci, uti legere est in

classico eius opere, Lib. III. Tit. 41, nn. 123-127. Imo n. 122 Schmalzgrueber rationem fundamentalem totius demonstrationis quam in cap. II nn. 27 sq. evolvi, a limine suae demonstrationis extollit scribens:

« Ratio est quia ITA VELLE PRAESUMUNTUR FIDELES, SACRIFICANTI STIPENDIUM AMPLIUS ASSIGNANTES: praesumuntur enim hoc facere ea intentione ut sacrificans ad maiorem cooperationem et accurationem suae liberalitatis intuitu excitetur ».

Haec intentio exclusiva nimirum in Missis manualibus de quibus Schmalzg. ibi loquitur, communiter praesumi debet nisi de eius exclusione toties quoties constiterit; non vero inverso modo. Sed operae pretium erit ut lector totum Schmalzgrueber textum citatis numeris evolutum, diligenter legat, quem referre extensum omitto utpote omnibus obvium.

Opus integrum quidem Schmalzgrueber, non vidit lucem Ingolstadii, nisi primum, anno 1717, triennio postquam Claudius Lacroix vita functus est. Atvero, uti monet Hurter (21) partes commentarii iam antea successive et seorsim fuerant editae; atque Auctor ius canonicum iam ab anno 1703 Dillingae docere incoeperat, quod deinde, ab anno 1706 ad 1716 ibidem et Ingolstadii semper professus est; ab anno vero 1704, biennium etiam theologiam moralem docuit. Ipse anno 1735 mortuus est praefectus studiorum in Dillingana Universitate.

126. Hisce Societatis Iesu Doctoribus coaevus fuit atque in eadem Bavaria floruit PATRITIUS SPORER O. Minorum, anno 1714 sicut ipse Lacroix, vita functus. Eius *theologia moralis* etsi, S. Alphonso teste, identidem plus quam par sit, benigna, generatim tamen soliditate atque eruditione praestat; et saepius eo saeculo currente, in Italia etiam, typis recusa fuit cum additionibus et supplementis. Hic porro praesentem quaestionem adeo egregie penetravit ac retulit

(21) Nomencl. II, 1223. Cf. Wetzer u. Welte's Kirchenlex. X, 1843. — Mederer, *Annal. Ingolst.* III, 142: « Edidit ius canonicum successive, occasione scil. publicarum disputationum quarum unam aut alteram singulis annis instituit ».

ut integer eius textus transcribi mereatur Theol. sacrament. Part. II, n. 365-371:

« *Sacerdos accepto stipendio pro Missa, potestne alteri Missam committere, retenta sibi parte stipendii?*

« Quaestio delicata procedit, quando stipendium datum est maius iusto, vel solito: ita ut parte retenta, alteri sacerdoti celebranti remaneat adhuc iustum stipendium saltem infimum solitum. Nam retinere partem et alteri sacerdoti minus iusto stipendium obtrudere, sine dubio iniustus et turpissimus quaestus esset, nisi tamen alter sacerdos plene, sponte et libere consentiret minus iusto stipendium accipere. Sicut enim posset in gratiam tui, omnino gratis Missas celebrandas in se recipere, toto stipendio accepto tibi relicto, ita etiam posset partem tantum accipere, relicta tibi parte, quam consequenter tu licite retineres. Sed dico *plene, sponte et libere.* Nam si sacerdos egenus necessitate compulsus aliunde non possit habere Missas, nisi sic a te diminuto stipendio acceptas non sine involuntario admixto, non liberaberis tu a peccato iniustitiae et turpis quaestus, ac onere restitutionis, sicut nec in simili usurarius secundum omnes ».

127. « Quaestio rursus est de stipendio manuali tantum pro Missis non statis. Nam stipendiis fundatis beneficiorum, cappellaniarum, et pro Missis statis, certum est posse Beneficiatum vel cappellanum habentem pingue stipendium, v. gr. 100 florenos pro Missa hebdomadaria una vel altera, sic ut cuilibet Missae respondeat fere totus florenus, vel amplius, posse Missas celebrandas alteri conferre, longe minori, iusto tamen et competenti stipendio, v. gr. vel 6 unciis. Sic enim expresse declaravit S. Congregatio.... Ratio est: quia stipendium MANUALE TOTUM DANT FIDELES PRO IPSA MISSA: at stipendium fundatum beneficiorum, cappellaniarum etc. non dant fundatores praecise pro ipsis Missis, sed etiam pro honesta, vel commodiore eius sustentatione, ut sic commodius et alacrius Deo serviant beneficiati. Quare si etiam stipendium manuale copiosius, v. gr. aureus, vel thalerus detur sacerdoti ex affectu speciali et liberalitate erga ipsam personam puta, quia bonus amicus, vel quia egenus est, relicta facultate etiam satisfaciendi per alium, (quod semper supponimus, et necessario supponendum est) similiter poterit, excessu retento, et iusto consueto stipendio dato, Missam committere alii. Quod si vero tale stipendium liberalius detur pro ipsa Missa praecise et simpliciter, ita ut liberalitas exercita fuerit praecise in favorem ac honorem Missae, vel ob specialem affectum cultumque erga Deum, B. V. vel aliquem Sanctum, vel ob vehemens desiderium certum beneficium impetrandi a Deo, etc. nulla habita ratione personae sacerdotis, tunc casus erit coincidens cum quaestione proposita ».

« Casus ergo quaestionis esto. Petrus Sacerdos pro 30 Missis celebrandis accipit 15 florenos, liberale satis stipendium. Is vero occupatus, vel impeditus, vel alia de causa Missas celebrandas committit alteri, datis solum decem florenis, retentis sibi quinque, aut aliquot sacris

commissis, dat tantum 5 bacios, vel 15 crucigeros, reliquo sibi retento. An iuste et licite? Ita sane affirmant plurimi et graves Doctores, Sot. Navarrus, Lopez, Rodriguez, Henriquez, Arragonius, Vasquez, Sà, Gavantus, et more suo sequax Diana p. 1, Tr. 14, resol. 10 etc. seq. quos late recitat Nicolaus Dubois, n. 428. Pono rursus breves et claras

128. « *Resolutiones.* Prima. Spectato iure naturae, ac per se loquendo probabiliter id nec iniustum est nec illicitum: dummodo Sacra alteri aeque bono Sacerdoti communicet iusto stipendio relicto. Ratio est: quia sacerdos primus stipendii pinguioris accepti DOMINIUM ACQUISIVIT, et dando alteri Sacerdoti minus, nulli facit iniuriam. Non alteri sacerdoti, quia adhuc datur ei iustum stipendium, ut supponitur, et retinens partem excedentem, RETINET QUOD SUUM EST: non ipsi danti stipendium, quia hic adhuc recipit Missas eiusdem valoris, nimirum factas per sacerdotem aeque bonum, ut rursus supponitur: secus si curaret per sacerdotem malum, tunc enim dans stipendium privaretur fructu ex opere operantis: ergo per se, spectato iure naturae, nec iniustum nec illicitum est. Et quoad parochos consentit Laymann cit. Tr. 5, c. 1, n. 14, sic scribens: « Si sit curatus seu parochus cui largior eleemosyna confertur pro Missa, potest obligationi per alium satisfacere, dato ipsi stipendio sufficiente, reliquo sibi retento. Sotus l. 9 qu. 3, a 1. Navarrus, cap. 25, n. 91. Nam haec censetur mens esse fidelium, quod parochus pluribus obligationibus suis vel per seipsum, vel per cooperatorem satisfacere possit etc. ». Sic Laym. At mox infra quoad sacerdotes non parochos contrarium nobiscum tenet. Itaque sit *Resolutio*

129. « Secunda. Verius est, in ipso iure naturae, seclusa etiam prohibitione Ecclesiae, iniustum esse ac illicitum, atque adeo restitutioni obnoxium. Ita communis DD. apud Bonacinam, Laym. Lugo, Tamburini, saepe citatos. Et ratio clara est: quia qui accipit stipendium solito maius, pro uno Sacro v. gr., celebrando, nihil accipit titulo donationis, aut ullo alio, nisi titulo solius stipendii pro Missa celebranda, seu titulo celebrationis debitae (nisi clare expressum fuisset, ut si vellet, curaret per alium celebrari iusto stipendio et reliquum sibi pro cura retineret, quod certe rarum) ergo dans alteri minus, quantumvis iustum, vel solitum stipendium, et reliquam partem retinet SINE TITULO et CAUSA: ergo ipsius non est, sed celebrantis est, eique velut iniuriam passo restituenda est. Et quamvis si accepit a principio stipendium animo per seipsum celebrandi, illius stipendii pinguioris dominium sibi acquisivit, eo ipso tamen quo postea mutato animo, decrevit per alium celebrare, iam titulus et CAUSA dominii et consequenter IPSUM DOMINIUM CORRUIT, atque ut luquuntur iura, totum negotium ex parte ipsius, REDIT AD NON CAUSAM: atque sic de stricto naturae, communi et gentium iure restituendum est. Sic enim lege 25 ff. *Rerum emptarum* dicitur: Iure gentium condici posse puto res ab his qui non ex iusta causa possident. Et lege 1 ac ultima ff. *de condict. sine causa:* Constat id condici posse alicui quod vel non ex iusta causa ad eum pervenit, vel redit ad non causam; ac alibi saepius apud Nicolaum Duboys cit. num. 232. Est ratio,

meo iudicio, omnino conveniens (sic, forsitan ex mendo, pro *convincens*) et destruens fundamentum oppositae sententiae. Et quoad sacerdotes non parochos, ita subscribit Laymann cit. *Si stipendium alteri sacerdoti detur*, CENSETUR ESSE DANTIS VOLUNTAS *ut ipsemet sacrificet, vel si alteri commendare velit, totum ei stipendium largiatur: quare hoc casu iniuriam infert si partem sibi retineat. Navarrus, Henriquez, Mayor. ratio est: partim quia maior eleemosyna data sacrificanti censetur maior cooperatio ad sacrificium, ex quo maior fructus danti proveniat: partim quia etiam sacrificans, beneficii magnitudine motus, maiorem devotionem adhibet ideoque plus benefactori impetrat, etc. Laymann sapienter* ».

130. « Tertia. Certissimum est iam id illicitum, iniustum, ac restitutioni obnoxium esse, ex declaratione Ecclesiae. Sic enim habet propositio nona inter damnatas sub Alex. VII, anno 1665 » — et recitata ea propositione simul cum responso Urbaniano cui refertur, subdit: « Minime ergo est audiendus Bordonus *de celebrat. Missar.* Resol. 15 docens: talem non peccare mortaliter, nec teneri ad restitutionem, sed solum venialiter delinquere contra simplicem Ecclesiae prohibitionem, quo termino utitur Pontifex. Nam et ratio nn. praeced. allata oppositum convincit: et Pontifex vocat *damnabile lucrum*, utique non veniale tantum. Et ita expresse habet declaratio Cardinalium ab eodem Pontifice approbata apud Barbosam, *De potestate Episcoporum*, Alleg. 2: *Ulterius censuit sacerdotes quibus aliquando offertur eleemosyna maior, debere absolute integram eleemosynam tribuere celebranti, et nullam illius partem posse retinere.* Aliam quorumdam excusationem: decretum illud Urbani VIII non esse in Germania receptum, prorsus declaravit decretum citatum Alexandri VII, quod utique promulgatum et receptum est. Quare merito concludit P. Gobat, *Casu* 17, n. 570, non esse iam probabile absolvendum esse a confessario sacerdotem ita practicantem ».

131. « Quarta. Insuper regulariter loquendo eiusmodi lucrativos practicantes id iniustitiae et restitutionis reatu reipsa et in conscientia non excusat praetextus liberalis remissionis et donationis aliorum sacerdotum minus stipendium sponte acceptantium. Heus tu, avare lucrator: da vel offer alteri sacerdoti integrum stipendium a te acceptum: et siquidem is proprio motu ex gratitudine, vel discretione sponte liberaliter partem remittat, minori contentus: iam te in conscientia tutum existima. Quid horres et caput scalpis? Regulariter ergo ideo, parte tibi relicta minus acceptant stipendium, quia sciunt te nolle dare totum et partem retinere velle, non sine involuntario admixto, utique et ipsi libentius habituri totum: atqui tu non vis dare totum et vis retinere partem sine omni iusto titulo et causa, ideoque vere non tuum, et iniuste retinens, ut n. 369 dictum: ideoque non valente vel subsistente tua voluntate iniusta, neque subsistit vel excusat praetensa alterius remissio vel condonatio. Capis hoc? Eodem modo discurre de praetensa liberali remissione restitutionis: et ut capias magis, applica communissimam omnium doctrinam in re simillima de usura et usurario ».

« Dices. Bone Deus! Et tamen haec est notissima praxis apud no-

strates etiam! Ipsi viderint: ego non video excusari posse propria auctoritate ita practicantes: sed sola auctoritate Ministri aut Capituli Provinc. cuius est disponere de eleemosynis conventuum transferendis, vel communicandis ex rationabili causa, ob quam merito praesumi possit consensus eleemosynas dantium. Certe autem facilius excusantur quam sacerdotes saeculares; cum sicut amicorum, ita magis fratrum bona debeant esse facile communia. Haec salvo meliori iudicio ».

« Tandem sermo semper fuit de sacerdote ipso accipiente tale pinguius stipendium pro Missis alioquin a se celebrandis. Nam laicos etiam DD. oppositae sententiae ab hac licentia repellunt. Ut si aedituus v. gr. accepit 10 florenos pro 20 sacris procurandis in tali ecclesia: aut si testator reliquit heredi centum florenos pro 200 Sacris curandis. His duobus (et similibus) utique fas non erit servare dimidiam vel tertiam partem harum pecuniarum, si reperiant qui sint contenti dimidia parte, vel duabus tertiis, scilicet 15 vel 20 crucigeris in singula Sacra: ut ex communi notat etiam Laymann cit. L. 5, Tr. 5, C. 1, n. 14 sub fine. Id enim nimis manifeste adversatur voluntati dantium, et quoad heredem obstat illa clarissima decisio iuris, C. ultim. 13, Q. 2: ultima defuncti voluntas omnibus modis servari debet. Vide plura, curiosa, pulchra, speciatim, minutatim apud Gobat, Cas. 16 et 17 et seq.; et Tamburinum, Opusc. de sacrif. Missae, Lib. III aliosque passim allegatos ».

132. Patritio Sporer mox suffragati sunt alii duo Ordinis Minorum Theologi, ambo insignes, APOLLONIUS HOLZMANN (mort. a. 1748) De Euchar. n. 363, 365, et BENIAMINUS ELBEL (mort. a. 1756) Theol. mor. P. VIII, Conf. 18, n. 436, 440, 441. Ab utriusque textu referendo me abstineo quem diligenter contuli. Neuter enim alias affert rationes praeter illas quas a Laymann et Sporer audivimus evolutas. Tota idcirco Schola Franciscana quae ea aetate in Germania maxime florebat, sententiae affirmativae exclusive subscripsit.

133. Eodem tempore suam *theologiam moralem* ediderat CONSTANT. RONCAGLIA e Congr. M. D. (mort. a. 1737), quem S. Alphonsus classicis merito accenset. Hic porro, Tract. XVIII, C. VII, Q. VIII, relatis Urbani decretis cum propositione damnata ab Alexandro VII, sic concludit:

« Ratio autem cur non possint Missae per alium celebrari, retenta parte eleemosynae non solum desumitur ex sordida negotiatione, quae ita agendo apparet, sed etiam quia id omnino VIDETUR esse contra mentem dantis eleemosynam; nam cum eam det INTUITU MISSAE CELEBRANDAE, consequenter vult totam dari sacerdoti qui illam celebrat. Hinc retinentem partem stipendii puto omnino ad restitutionem teneri ».

Quibus verbis Roncaglia rationi a me superius evolutae decisive adstipulatur. Quod confirmatur etiam ex distinctione donationis omnino liberalis ab alia, quam urget subinde explicans casus in quibus pars stipendii absque iniustitia retineri potest vel non.

134. Hisce accedit opus posthumum NICOLAI MAZZOTTA S. I. anno 1748, secundo post auctoris mortem, editum, in quo, tom. II, n. 1468 et 1469, ab editore adiuncta sunt documenta ecclesiastica, Urbani VIII, Alexandri VII, atque encyclica *Quanta cura* Benedicti XIV, ex quibus, citato Lacroix cum *communi*, sic concluditur:

« Et tenetur (retinens sibi partem stipendii manualis) ante sententiam iudicis illud restituere; quia eleemosynam accepit, non ut procuret Missam pretio quo possit; sed tantum ut ipsemet acquirat titulo celebrationis; et communiter, quidquid sibi retinet non celebrando, retinet sine titulo, adeoque iniuste: ergo restituere debet vel celebranti, vel danti eleemosynam. Etc. ».

Nihil heic iuvat immorari in referendis rigoristis qui eadem aetate sententiam affirmativam docuerunt, Ioan. Pontas, Petrus Collet, probabiliorista et rigidissimus Concina. Hic ultimus Theol. christ. VIII, De Sacrif. Missae, Pargr. II, n. X et XI, praecipuus est in perperam referendo Dominico Viva, acriusque in eodem increpando atque insimulando de admisso delicto propugnandi probabilismum, quin tamen ulla ratio demonstrativa afferatur. Non vacat igitur ut ea transcribantur.

135. Sed iam pervenimus ad S. DOCTOREM ALPHONSUM. Otiosum esset eius transcribere verba quae cuique patent in Theol. mor. L. VI, n. 322 cum accuratissimis notis criticis P. Leonardi Gaudé, editoris huiusce operis (22). Praecisione facta nunc ab auctoribus quos S. D. patronos utriusque adversae sententiae recenset, ratio intrinseca ab eo allata quae rem evincat, non est tam prima quam potius secunda, scilicet de violata intentione dantis eleemosynam; eamdem-

(22) Cf. **Homo Apostol.** Tr. XV, n. 65, ubi etiam allegatur Encycl. **Quanta cura** Benedicti XIV.

que audivimus pleniori evidentia enucleatam a Pasqualigo aliisque non paucis, a S. Alphonso praetermissis, uti v. gr. a Pignatelli, Schmalzgrueber. Verum nec prima ratio S. Doctoris, ex propositione 9ª Alexandri VII desumpta, si quidem inspiciatur sub luce mentis quae tunc temporis omnino praevalebat in Curia Romana quaeque sagacitatem effugit S. Doctoris, haec prima ratio, inquam, non ita nutans aestimari debet quemadmodum S. D. videtur existimasse.

Quidquid sit ea de re, conclusio S. Doctoris, non est ambigenda, nec tantum consequenter ad Ecclesiae decreta sed etiam iuxta ipsius mentem, ex iustitia quae inito contractu inducitur. Hisce itaque iam pervenimus ad saeculum decimum nonum.

§ 7. — Quaestionis status ab aetate Alphonsiana usque ad praesentem.

E. Voit; Card. Th. Gousset; Fr. X. Receveur; P. Scavini; I. P. Gury; I. Frassinetti; P. Avanzini; V. Costantini; Card. I. D'Annibale; Editor Operis Moralis Ballerinianí; Card. C. Gennari; E. Genicot; Theologi Lovanienses; H. Noldin; Fr. Göpfert; Theologi Oenipontani; I. B. Ferreres; A. Lehmkuhl; I. Bucceroni; Schola Ligoriana; Schola Franciscana; Schola Sulpitiana.

136. Saeculo decimo nono ineunte satis vulgatum fuit in scholis non solum Germaniae sed etiam Italiae, imo et Galliae atque Hispaniae, manuale theologiae moralis Edmundi Voit S. I. Hic S. Alphonso coaevus, ab anno 1747 per undecim annos Wircebnrgi docuit hanc scientiam, suumque opus ibidem anno 1750 primum edidit quod multoties tum ante auctoris mortem (anno 1780), tum usque ad annum 1853 in tota fere Europa recusum est (23). Porro in vol. II, n. 434, relata Encyclica *Quanta cura* Benedicti XIV, sic prosequitur Voit:

« Quaer. IV. An in nullo casu liceat retinere partem sive excessum iusti stipendii. R. Lucri gratia id nunquam licitum est. Excipit tamen *Duarte* l. c. (24): 1) *si omnino sponte et ex mera liberalitate* condonetur

(23) Sommervogel, VIII, 893.

(24) Did. Duarte O. S. F. *Clavis Pontificia quae asserit prop. a RR. PP. Alexandro VII etc. damnatas.* Messanae 1710, et alibi deinceps.

excessus iusti stipendii ab eo cui traditur Missa celebranda. 2) Si certo constet iusti stipendii excessum datum esse non intuitu Missae celebrandae, sed intuitu personae, quia est amicus vel pauper; adde, si etiam prudenter censeatur offerens aeque contentus esse si alius sacerdos legat Sacrum petitum ».

Et paulo infra loquens de beneficiario cui licet (nisi aliter in fundatione cautum sit) alteri pro se celebranti solam congruam eleemosynam tribuere:

« Ratio est, subiungit, quia talis beneficiatus non accipit stipendium Missae singulare vel manuale; sed totam massam redituum, ut intentam a fundatore sustentationem; ergo fit DOMINUS redituum cum obligatione fundatas Missas legendi per se vel per alium ».

Hac doctrina in compendio concinnata, Voit satis aperte principia profitetur ex quibus logice concluditur obligationem urgendam esse restitutionis propter laesam iustitiam commutativam, nisi CONSTITERIT de excessu OMNINO LIBERALITER DONATO, ideoque de DOMINIO EIUS IN PRIMUM DONATARIUM TRANSLATO EX HAC SOLA LIBERALITATIS CAUSA; sive primus offerens sive sacerdos ad celebrandum substitutus, fuerit liberalis auctor donationis. Reapse idem Voit supponit obligationem celebrandi ex acceptatione stipendii manualis, oriri ex *pacto* ideoque esse iustitiae obligationem: id enim in alia specie expresse docuerat paulo antea, n. 431. Mecum igitur hunc habeo magistrum tot in scholis receptum et probatum a medio saeculo XVIII ad medium saeculum XIX.

137. Eodem tempore *theologia moralis* S. Doctoris Alphonsi coepit late diffundi per omnes scholas, strenua opera Card. THOMAE M. I. GOUSSET qui ab anno 1818 theologiam moralem docuerat in seminario Bisuntino et postquam anno 1831 Vicarius generalis effectus est, celebrem edidit *Justification de la théologie morale du B. A. M. De Liguori* (25). Voto etiam se obstrinxit, Romae, ut theologiam illam in Galliam induceret. Reapse acceptissima fuit atque hodie etiam est eius *Théologie morale* primum anno 1844, et toto

(25) Hurter, *Nomenclat.* III, 1129.

currente saeculo saepe recusa in aliasque linguas translata. Iam vero in ea quoad rem nostram, ipsissima S. Alphonsi doctrina fere ad verbum refertur sine ulteriori commentario, II, n. 296, 297. Idem omnino dicendum est de aliis S. Alphonsi compendiis, quae tum a DEODATO NEYRAGUET ab anno 1841 et deinceps, tum a FR. XAV. IOS. RECEVEUR atque ab aliis evulgata sunt.

138. Inter eos qui S. Alphonsi doctrinam scholasticae disciplinae methodice adaptarunt, eminet medio saeculo XIX, PETRUS SCAVINI Praepositus Ecclesiae cathedralis Novariensis et professor in seminario dioecesano. Classicum huius opus ab anno 1835 iam exaratum (26), usque ad mortem auctoris, anno 1881, et deinceps opera successoris eius, Canonici I. A. DEL VECCHIO, expolitum, auctum atque illustratum multoties prodiit in lucem. Equidem in vol. III, n. 166 ipse Scavini, loquens de Missis manualibus, postquam prohibitiones retulit Urbani, Innocentii et Alexandri, cum Encycl. *Quanta cura* Benedicti XIV, subiungit: « Et eo in casu, uti probabilius ac communiter docent, restituendum est quod retentum fuit sacerdoti qui celebravit; nam Missa data fuit CELEBRANDA TALI STIPENDIO ».

Haec verba, uti legenti manifestum est, referunt S. Alphonsi doctrinam, ita tamen intellectam ut mens ipsius, omissa monitione de TENENDA ea sententia, distrahi videatur in Dominici Viva sensum ab ipso S. D. relatum, non tamen positive probatum; uti vidimus. Haec aliquantulum mendosa relatio a Petro Scavini facta, tribuenda forte est leviori considerationi quam ipse in contrahendo diffusiori S. Alphonsi textu distractus, admisit nec alios consulere propriisque oculis inspicere curavit; qui defectus non raro in compilatoribus deprehenditur.

Verum Petri Scavini praecessoris defectum corrigere non omisit sagax annotator I. A. Del Vecchio. Hic enim in vol. IV append. LVII, n. 418, suam fecit sententiam quae nostra

(26) Vide epistolam dedicatoriam auctoris ad Pium Papam IX, in capite editionis III, anno 1847 et subinde in aliis reproductam.

est, referens in extenso doctrinam cl. p PAVONE(27) in *Spicilegio canonico, morale, giuridico, liturgico; diss. 8.* Cuius verba referuntur in fine citati numeri 418 : « A chi riceve le Messe dai devoti, questi lor danno la limosina soltanto PER LE MESSE; e per conseguenza se le fanno celebrare da altri debbono dar tutta la detta elemosina ». Ipse Del Vecchio deinde n. 419 multas congerit S. Poenitentiariae et S. Congr. Concilii recentiores decisiones quae omnes in hunc eumdem sensum constantissime convergunt. De his antea sermonem ego feci.

139. Anno 1850 IOANNES PETRUS GURY S. I. (mort. a. 1866) primam editionem curavit celeberrimi compendii Theologiae moralis, quam scientiam triginta quinque annis magno plausu professus est tum in seminario Valensi prope Anicium, tum maxime in Collegio Romano. In editione Parmensi anni 1852 quam prae manibus habeo, de quaestione nostra haec leguntur, vol. III, n. 170 :

« Quaer. 6. An sacerdos possit curare per alium Missam dici, minus dando quam accepit. — R. Negative. Quia ob speciem turpis lucri id prohibuerunt Urbanus VIII, Innocentius XII, etc. Imo Benedictus XIV ipso facto suspendit, suspensione Pontifici reservata sacerdotem, qui stipendia maioris pretii pro Missis celebrandis, iuxta consuetudinem, vel statuta locorum, colligens, dat operam, ut Missae celebrentur ab alio sacerdote, parte sibi retenta. — Excipe, nisi excessus stipendii traditus fuerit solo personae intuitu, aut alter sacerdos omnino sponte et non rogatus excessum priori donet. — Vide S. Ligorium, n. 321 ».

Verum in editione romana anni 1862, quam auctor ipse auxit, eadem ita evoluta sunt ut ab initio verba prohibitionis Urbani et Innocentii referantur addita etiam propositione nona ex damnatis ab Alexandro VII; in fine vero paragraphi, citato S. Ligorio addatur « et alii communiter ». In numero autem sequenti qui in istis posterioribus editionibus est 372^{us} subiungitur.

« Quaer. 9. An qui retinet partem stipendii teneatur ad restitutionem? — R. Affirmative. Ratio est 1) quia hoc deducitur ex propositione

(27) Hic, ni fallor, est Ioseph M. Pavone Congr. SS. Redempt. qui Neapoli claruit, labente saeculo XVIII.

damnata ab Alex. VII, superius relata. Propositio enim dicebat, sacerdotem retinentem partem stipendii posse satisfacere per alium; ergo sequitur, contradictoriam esse veram, illum scilicet non posse satisfacere; satisfactio autem non respicit tantum honestatem actus, sed etiam eius iustitiam: qui autem obligationi iustitiae non satisfacit, ad restitutionem tenetur; 2) quia sacerdos dividens stipendium, agit contra voluntatem dantis: voluntas enim dantis est, non solum ut Missa celebretur, sed ut pro tali stipendio celebretur, neque enim GRATUITO erogare quidpiam ei vult, qui non celebrat. — Ita S. Lig. n. 322, inquiens, hanc sententiam esse tenendam. Cui autem debeat fieri restitutio, num danti scilicet eleemosynam, an celebranti, *controvertitur*. Potius celebranti facienda videtur. — S. Lig. ibid. ».

140. Haec porro quae mentem S. Alphonsi referunt eadem omnino ratione intellectam qua a me explicata est, immutata permanserunt in omnibus editionibus *Compendii* vel auctoris cura vel Antonii Ballerinii, vel Dominici Palmieri, in lucem datis, usque ad hodiernam quae est decima quinta Romana. In hisce ultimis Dominicus Palmieri (a decima tertia, anno 1898), quamvis in non paucis ipsum Gury textum censuerit esse modificandum, in hac quaestione, intactum reliquit. Quod profecto indicium est non leve unde merito suspicari valeamus ea quae in alium oppositum sensum leguntur in *Opere morali* ex Ballerinii manuscriptis a Dom. Palmieri edito, fuisse ab hoc non vero ab illo, interpolata. Palmeriani enim styli concisionem ac sobrietatem redolent, potius quam paulo vividiorem illum elegantemque dictionis incessum quo Ballerinii calamus alacriter currendo se prodit. Suspicionem auget indicium alterum quod exoritur ex sententia quam constanter retinuerunt alii duo, Ballerinii aequales atque ipsi amicissimi: Petrus Avanzini et Ioseph Frassinetti; et hic quidem in ipsa editione sui compendii cui parandae post auctoris mortem, Ballerinius praecipuam operam impendit. Sed de his mox sermo ex professo erit.

Opinio igitur communi opposita, a Petro Gury certissime numquam fuit approbata et maxima probabilitate aestimari potest Antonio Ballerini supposita a Dominico Palmieri, quippe qui in eo loco Operis Balleriniani, oblitus sit asterisco discernere paucas illas propositiones a se introductas.

141. Ioseph Frassinetti cuius vulgatissimum fuit in Italia praesertim, altero currente dimidio saeculi XIX, *Compendium theologiae moralis S. Alphonsi*, italice conscriptum, in secunda huius opellae editione, ab auctore parata initio anni 1865, vol. II, n. 1135 et seq. ita legitur:

« Colui che riceve lo stipendio per la Messa, non può farla celebrare da altri, ritenendosene una parte. Ritenuta questa parte, dovrebbe essa, giusta l'opinione più probabile, restituirsi al celebrante, e non già a chi avesse dato la limosina ». Et num. seq. memorata suspensione olim vigente, prosequitur Auctor: « È però da eccettuare il caso, in cui lo stipendio maggiore fosse dato al sacerdote per riguardo della persona, p. es. perchè parente, o amico o povero; o per retribuirlo d' un servizio da lui prestato ecc. il che dee giudicarsi dalle circostanze ».

Numero vero sequenti alteram ulteriorem proponit quaestionem.

« Chi riceve lo stipendio, non può ritenersene una parte, ANCORCHÈ FACCIA SAPERE AL SACERDOTE PRIMA DI CELEBRARE, CHE LO STIPENDIO DATO È MAGGIORE, E QUESTI DI BUONA VOGLIA LO CONDONI. Etc. ».

Urgetur igitur hic obligatio iustitiae ex donatione stipendii, Missae solius intuitu, iuxta S. Alphonsi doctrinam.

Aliis duabus deinde vulgatis editionibus, quartaque apparata, Auctor primo initio anni 1868 sancte decessit; et quinta editio, posthuma, cura praesertim Antonii Ballerini, lucem vidit anno 1871. Porro in ea, vol. II, n. 367 leguntur eadem quae superius a me transcripta sunt; et subinde n. 368 infertur altera illa quaestio cui adnectitur nota quae 117 est (pag. 127), ad vindicandum Auctorem contra impugnationem ei factam a I. A. Del Vecchio et a Vindiciis Alphonsianis, eo quod probabilitatem admiserat opinionis quae tempore Dominici Viva et serius etiam Constantini Roncaglia, communiter docebatur, partem scilicet stipendii manualis retineri posse a primo acceptante si « il sacerdote che la celebra, la condoni liberamente »; *omnino sponte et ex mera liberalitate condonetur ab eo cui Missa traditur celebranda*, ut aiebant isti DD. Iam vero in ea propugnanda sententia, editor, iuxta Frassinetti mentem, iugiter et expressissime supponit illum celebrantem suum fecisse totum primitus oblatum stipendium, nedum partem eius tantum ideoque nonnisi

ex ipsius donatione omnino spontanea et libera, partis retentae dominium iuste posse transire in primum illum sacerdotem qui Missam non celebravit. Apertissime igitur se prodit hic sententia tam Iosephi Frassinetti quam Antonii Ballerini, eius adnotatoris, nostrae constanter identica.

142. In eadem sententia fuit alter Antonii Ballerini amicissimus, PETRUS AVANZINI qui anno 1865 Romae coepit edere vulgatissimam ephemeridem cui titulus *Acta ex iis decerpta quae apud S. Sedem geruntur*. Insignis hic Theologus et Iurisconsultus praematuре decessit anno 1872. Sequens porro fuit eius sententia quam in vol. III, eiusdem Ephemeridis pag. 558 expressit:

« Exposita doctrina (S. Alphonsi) ad sequentes regulas reduci potest: I. Eleemosynae Missarum integrae tradendae sunt sacerdoti celebranti, quicumque sit qui eam celebret: et hoc tum causa arcendi damnabile lucrum seu mercimonium in re tam sancta, idque sub gravissimis poenis; TUM ETIAM RATIONE IUSTITIAE, CUM TOTA MANUALIS ELEEMOSYNA EX VOLUNTATE PII LARGITORIS AD CELEBRATIONEM REFERENDA SIT ». — II. « Excipiuntur casus in quibus dantes pinguiores eleemosynas ea de causa dant vel ea se gerunt ratione ex qua clare intelligatur se NON TANTUM CELEBRATIONIS INTUITU, sed etiam intuitu alterius extrinseci tituli eas dare: puta, amicitiae, paupertatis, gratitudinis etc. ».

143. Non aliter docuit paulo serius, VICTORIUS COSTANTINI, in suis Instit. moral. Prati editis anno 1881 et Viterbii a. 1896 recusis, n. 719:

« Non licet sacerdoti Missam quam applicandam suscepit cum stipendio, alteri applicandam committere et partem stipendii sibi retinere; nullo enim iusto titulo hanc partem sibi adscriberet; et si retinuerit, debet restituere. Id liceret si stipendium excederet statutam mensuram, et excessus datus fuisset ob amicitiam, vel ob paupertatem aut gratitudinem aut propinquitatem, vel si alius ille sacerdos sponte sua excessum cederet ».

144. Sed ecce IOSEPH D'ANNIBALE qui postquam triginta annis docuerat theologiam moralem in seminario Reatino, a Leone XIII ad Curiam Romanam adscitus, Episcopus titularis consecratus anno 1881, et tandem anno 1889 Cardinalis S. R. E. creatus, eruditissimus, inquam, vir in celebri *Summula* Theol. moralis anno 1881 primum edita et deinceps pluries recusa, Veterum sententiam communi suf-

fragio a duobus saeculis derelictam, resuscitare non dubitavit: in tertia enim Summulae editione (a. 1892) quam totam apparaverat priusquam diem ultimam obiret, 18 Iulii 1892, tomo III, n. 190, in notula 17, haec leguntur:

« Sed quaestio difficilis est, utrum *furti* quoque teneatur is, qui stipendii partem retinet: et quaestio haec esse videtur, ut is satisfaciat intentioni dantis. Affirmant *hoc* ex Veteribus TT. QUIQUE DOCTISSIMI, quia per *alium* celebrat: recentiores negant, ex cit. Alex. VII, 9; et hoc S. Alph. VI, 325, v. *Verum,* tenendum putat. Ita porro, si is partem tradit iusto minorem, ideoque tenebitur prout usurarius: secus Veterum sententia VIDETUR PROBABILIS. Scilicet ideo plus aliquis dat, ut plus accipiat non quidem ex Missae (quod simoniacum foret) adeoque (ex eo quod plus dat) non quasi ex Missae stipendio, sed quasi ex eleemosyna: atqui haec non fit Seio, vel Caio, verum *sacerdoti.* Nec obstat Alex. VII, 9, quippe nimis late concepta est (V. Prol. 189, 65). Ceterum extorquenda est ei qui retinuit, quasi turpe lucrum, perinde ac simoniacum: nisi aliud suadeat iustissima causa. Porro haec non pertinent ad heredem vel executorem testamentarium, qui relictas a testatore definito stipendio Missas, minoris celebrare facit: is enim, quod celebranti ex testamento debetur contra iustitiam non solvit (V. S. Alph. l. c. Dub. 2.) ».

145. Ambigendum idcirco non est quominus auctoritatem saltem, sin rationes allatas, Card. D'Annibale, in hoc Summulae loco, mihi et communi DD. suffragio contrariam experiar. Verum E.us vir nequaquam perstitisse dicendus est in ea oppositione. Revera iam in editione sui commentarii in Const. *Ap. Sed.* quam Reate anno 1880 ediderat (28), atque iterum in quarta quam Can. Fridericus Polidori « ab ipso auctore ultimis studiis notabiliter emendatam et auctam » recudi curaverat anno 1894 (29), implicite admittitur ipsissima mea sententia. In cap. enim *Colligentes*, de illis etiam qui propter tenuitatem captati lucri, latam eo capite excommunicationem effugiunt, absolute edicitur quod « FURTI TENENTUR SEU GRAVIS SEU LEVIS, PRO MATERIAE QUANTITATE; nisi alter retro dederit excessum sponte et liberaliter prorsus ». In quaestione autem ulteriori cui facienda sit restitutio, in subiecta nota ita loquitur auctor

(28) N. 128 et subiecta nota 11.
(29) N. 140, et subiecta nota 16.

ut manifeste supponat imo dicat EI QUI CELEBRAVIT, IUS AD REM ESSE EX DANTIS INTENTIONE. Unde si talis fuit dantis intentio, NULLA CAUSA superest non celebranti qui stipendium primus acceptavit, cur sive ipsum totum sive partem eius sibi usurpare iuste possit. Vanum igitur est obiicere perspicacissimum virum hoc in loco de eo exclusive loqui qui stipendia collegerit non ut ipse Missas celebret, sed ut mandatarium agens, faciat celebrare. Nimirum ideo dicendus est Card. D'Annibale a sententia in Summula tradita recessisse quia adverterat Benedictum XIV in Encyclica *Quanta cura* illos indiscriminatim omnes « furti » etiam reos esse declaravisse « restitutionique obnoxios, » quin solos mandatarios ab aliis discerneret. Noluit idcirco in sensu persistere cui praeiudicium opponebatur tanti Pontificis. Revera in hoc loco utriusque editionis, verbis a me heic recitatis notulam ipse subiicit, qua sine alia explicatione, solam appellat Encyclicae *Quanta cura* auctoritatem. Card. D'Annibale igitur, ubivix paulo penitius adverterit ad rei rationem, logice debuit a priori sententia discedere.

146. Occasionem hic nanciscor reperiendi novum indicium quo confirmetur Antonium Ballerini nec ipsum sententiae Suarezii in praesenti quaestione, unquam adhaesisse. Revera in commentario Constitutionis AP. SED. Compendio Guryano a Ballerini adiecto, et ipse, recitatis Iosephi D'Annibale verbis fatetur « quod retinens sibi stipendii partem, nisi ultro ab accipiente donetur, reus furti sit seu gravis seu levis, pro materiae nempe quantitate... » « Ballerini nempe probe intellexerat illum sacerdotem cui Missae manuales celebrandae tradantur, non minus expertem esse cuiusvis tituli sibi partem stipendii acquirendi nisi Missas celebret, quam alium qui ad instar mandatarii onus tantum susceperit procurandi eas ab aliis celebrari. Unicum discrimen intercedit inter D'Annibale et Ballerinium in hac re: D'Annibale nempe postquam in Summula docuerat Suarezii sententiam esse probabilem, sibi non cohaerens, aliud in Commentario de censuris, docuit quod

hanc probabilitatem a fundamento destruit; dum Ballerini, tam in Tract. *De Euchar.* cum ipso Gury, quam in suo comment. *De censuris*, eamdem sententiam Suarezianae contrariam constanter retinuit.

147. Cum scientiae theologiae moralis evolutio hucusque descripta, eo iam devenisset ut sententia quam propugno, videretur in scholis universis pacifice *possidere*, anno 1891, publici iuris factum est IV volumen Operis Theologici Moralis Antonii Ballerini, ex eius manuscriptis a Dominico Palmieri editi atque absoluti. In eo, pag. 726, sub n. marginali 237 (30), de quaestione nostra haec leguntur:

« S. Alphonsus adhaeret doctrinae quae docet sacerdotem qui sibi retinet partem stipendii, teneri ex iustitia ad restitutionem, quae probabilius, ut inquit, facienda esset sacerdoti cui committitur Missa celebranda ».

Revera nescio utrum accuratius scriptum non fuisset S. Doctorem non simpliciter adhaesisse doctrinae illi tamquam opinioni mere probabili, sed eam insuper dixisse esse *tenendam* et reapse a recentioribus *communiter retineri*, *post propositionem ab Alex. damnatam.* Quae duo profecto non sunt identica.

« Re per se spectata, prosequitur textus a P. Palmieri editus, NON VIDETUR DEESSE PROBABILITAS SENTENTIAE NEGANTI HANC OBLIGATIONEM. S. Alph. sane n. 322, ad quaestionem, *an teneatur ad restitutionem*, sic respondet: « Prima sententia negat et hanc tenent Suarez et Bonacina cum Sà, Navarro, Vasquez, Filliuccio, Possevino, Roderico, Reginaldo et aliis eamque probabilitate non carere dicit Viva. Ratio, quia accipiens stipendium iam acquirit illius dominium et licet acquirat cum onere dicendi Missam, huic tamen bene per alium satisfacit ».

Heic omissa est Castropalai auctoritas quam S. D. statim post Suarezium recenset, omissumque adverbium *iam* quod praeponitur ultimo verbo *satisfacit.*

« Et reipsa, iterum prosequitur textus a Palmieri editus, in ceteris omnibus negotiis haec regula valet, sc. non imponi onus personale, ita, ut si aeque bene per alium quis suas partes impleat, alter inquirere debeat, num minori pretio per alium satisfaciat. Quid si quis gratis se offerat ad onus implendum? »

---

(30) In edit. 3, vol. IV, n. 1017.

148. « Arguitur in contrarium: 1) ex propositione 9 damnata ab Alexandro VII (Cf. n. 253) hoc pacto. Contradictoria eius propositionis est quod non possit satisfacere obligationi susceptae, si per alium celebrat, retenta parte stipendii: atqui satisfactio est actus iustitiae: qui autem iustitiae obligationi non facit satis, tenetur restituere; ergo. 2) Etsi sacerdos, accipiens stipendium pro celebranda Missa, acquirat statim eius dominium, acquirit tamen, saltem vi existentis legis Ecclesiae, sub conditione, quod ipse celebret: conditione ergo non impleta, nihil retinere potest ».

« Sane Benedictus XIV Const. *Quanta cura* sup. cit. de collectoribus agens partem stipendii sibi retinentibus, ait: « Quod sane veluti mercaturis faciendis a turpis lucri cupiditate inductum, non solum ab avaritiae suspicione et vitio, verum etiam *a furti crimine, unde restitutioni subiaceat, non immune,* in causa est ut bonorum quamplurimi etc. ».

149. Hic etiam advertendum est discrimen inter rationes a S. Alphonso allatas pro sua doctrina atque argumenta pro eadem in praesenti textu proposita. S. Alphonsus recitata heic Benedicti XIV verba non urget saltem in sua *Theologia morali;* insuper dum ipse rationem intrinsecam desumit ex voluntate dantis Missam manualem, ideoque ex iustitia naturali, per contractum inducta, textus transcriptus e contra, necessitatem appositae conditionis, reducit ad obligationem lege ecclesiastica inductam, perinde ac si praecisione facta ab hac positiva lege, non constaret traditionem stipendii manualis nisi oppositum expresse vel aequivalenter cautum fuisset, semper fieri *solo Missae celebrandae intuitu, id est ex unica huius Missae causa;* sicuti manifestum est ex ipsa huius Missae definitione quam ipse editor, Palmieri paulo superius, n. 256, ex declarationibus S. Congregationis deduxerat.

Equidem nequeo mihi persuadere haec revera exstitisse in Ballerinianis adversariis, utpote quae in commate *Et reapse,* ne attingunt quidem solutionis cardinem, *causam* scilicet initi contractus, sed eo omisso, discurrunt in comparationem ineptam, sicuti in prima parte huius relectionis late demonstravi. Porro Ballerinio aliena erat huiusmodi arguendi ratio, quippe qui praesumi facile potest legisse ac perpendisse quae non solum Suarez et Vasquez cum Castropalao, Bonacina et praesertim Tanner, sed etiam

Pasqualigo aliique gravissimi disputarunt ad punctum controversiae stabiliendum. Atvero animadversio illa verbis S. Alphonsi minus accurate relatis subnexa, nequaquam refert Doctorum illorum mentem. Omnia igitur simul collata rei et personarum adiuncta satis gravem suspicionem, ne probabile etiam dixerim argumentum, asteriscos consuetos ab illis paragraphis, nescio quo fato, decidisse, indeque solius *Editoris* additionem *Ballerinio Auctori* sine solido fundamento potuisse attribui.

150. Quidquid tandem sit de vero relatae doctrinae auctore, constat eam mox fuisse susceptam ab EDUARDO GENICOT S. I. qui anno 1897 publici iuris fecit Theologiae moralis Institutiones « ut medullam praeberet suis auditoribus Collegii Maximi Lovaniensis eiusdem Societatis, plurium egregiorum operum quae nuper de Morali theologia edita sunt, imprimis Operis moralis... Antonii Ballerini quod... eximiis additamentis notisque locupletavit P. Dominicus Palmieri ». Praef. I. vol. Reapse vol. II, n. 231 auctor postquam Urbani et Innocentii decreta ac Bened. XIV Const. *Quanta cura,* explicavit de gravi ex genere suo obligatione religionis ne pars retineatur stipendii accepti pro Missa *manuali;* exceptionesque enumeravit in quibus « licitum est retinere excessum supra taxam ordinariam, quotiescumque occurrit *titulus celebrationi extrinsecus* », ita prosequitur:

« QUAER. Num sacerdos qui indebite excessum stipendii retinuerit, violet iustitiam commutativam ideoque ad restitutionem teneatur. — RESP. Affirmant plerique cum S. Alph. (n. 322), duplici ratione nixi: *a)* Damnata est ab Alex. VII prop. 9: « Post decretum Urbani etc. ». Ergo qui ita agit, non satisfacit; satisfacere autem est actus iustitiae, ac proinde is laedit iustitiam. Sed verba *potest satisfacere* commode intelligi possunt de plena liceitate: quare ex damnatione sequitur tantum certo peccare eum qui sic agat, non autem necessario eum peccare contra iustitiam. — *b)* Sacerdos qui eleemosynam accepit, non acquirit eius dominium, nisi iuxta voluntatem dantis; haec autem est ut Missa pro tali stipendio celebretur. Igitur, si tradit minorem eleemosynam, violat substantiam contractus et nullum titulum habet ut excessum sibi retineat. Hunc ergo restituere debet, probabilius ei qui Missam celebravit, et cum onere suscepto, ius ad integram eleemosinam obtinuit. At non

liquet talem esse intentionem illius qui stipendium contulit: siquidem regulariter oneri isti licet satisfacere per alium atque in casu nostro certe satisfactum esset, si alter sponte se obtulisset ad gratis celebrandum».

« Ideo cum pro ista sententia deficiat certum argumentum, probabilem habemus, cum Baller. P. (n. 257), d'Annibale (III n. 190 nota 17) etc., sententiam negantem plurimorum Veterum. Haec tamen nequaquam extendenda est ad executorem testamenti qui retineret sibi partem summae quam in stipendia Missarum erogare debuisset, curando v. gr. ut Missae celebrentur ubi minora sunt stipendia: id enim manifeste iniustum foret, siquidem nunquam dominium illarum eleemosynarum obtinuit, ac proinde nullo titulo partem illarum retineret (S. Alph. n. 322) ».

151. Haec Eduardus Genicot; quae egregio compendio referunt Dominici Palmieri doctrinam nec minus quam ipsa, in obscuro relinquunt demonstrationem tituli quo iuste possit ille stipendii manualis excessus distrahi ab onere cui alter satisfecit. Nisi quod ipse propius quam Palmieri, accessisse videtur ad cardinem totius solutionis, advertens « *non liquere talem (ne scilicet distraheretur quidquam collati stipendii) esse intentionem illius qui stipendium contulit* ». Nam tota conclusio nostra emergit praecise ex demonstratione talis intentionis in ipsa natura definita Missae *manualis;* quae intentio censeri nequit a donante mutata nisi toties quoties constiterit de opposito.

152. Ita porro quaestio solvebatur non solum usque ad mortem Auctoris quae anno 1900 contigit sed etiam in subsequentibus editionibus praeclari eius operis: Hoc anno 1912 tandem cl. P. Salsmans, collato consilio cum P. Vermeersch (ambo enim theologiam moralem docent in Collegio Lovaniensi S. I.), sententiam mutandam esse censuit in editione 7 *Institutionum* atque in additamentis editioni tertiae *Casuum* factis. L. c. enim ubi proponitur ratio intrinseca conclusionis, ita scriptum est:

« Melius concludit sequens ratio: *b)* Sacerdos qui eleemosynam accepit, non acquirit eius dominium, nisi iuxta voluntatem dantis: haec autem in hypothesi nostra ubi non favet huic sacerdoti titulus extrinsecus, profecto est ut Missa pro tali stipendio celebretur. Igitur si tradit minorem eleemosynam, violat substantiam contractus et *nullum* titulum habet ut excessum sibi retineat. Hunc ergo restituere debet ei qui Missam celebravit et qui cum onere suscepto, ius ad integram elee-

mosynam obtinuit ». « Ideo VIX PROBABILEM habemus *sententiam negantem* plurimorum Veterum ».

In vol. II *Casuum* casus V, pag. 257, accepit correctionem in appendice hoc anno edita: « Opinio excusans a peccato iniustitiae NON IAM TUTA VIDETUR ».

Equidem mihi summopere gratulor sententiam quae hisce foliis est propugnata, tantorum calculo Theologorum fuisse approbatam.

Idem omnino felici mutatione obtinuit iam anno elapso in Universitate Oenipontana, in qua uterque Professor theologiae moralis nunc docet in praesenti quaestione sententiam contrariam eamdem quam propugno; non quidem spectato argumento desumpto ex propositione damnata ab Alex. VII, sed spectata iustitia initi contractus de stipendio *manuali*. Ita ex irrefragabili testimonio certissime rescivi.

153. P. HIERONYMUS NOLDIN olim in eadem Oenipontana Universitate Professor celebratissimus, *De sacramentis* Edit. 10, n. 191:

« Stipendii partialem retentionem ab Ecclesia *sub gravi* prohibitam esse, manifestum est ex poenis in hanc agendi rationem latis; sed dubitatum est, utrum hanc agendi ratione contra iustitiam commutativam cum onere restitutionis an solum contra religionem peccetur. Certe probabilis est sententia eorum qui *laesionem iustitiae commutativae negant.*

(Hic in calce citantur Ballerini-Palmieri; D'Annibale; Genicot);

« argumenta enim, quibus S. Alph. sententiam affirmantem demonstrat, rem non evincunt. Ita ipse arguit:

a) Ex propositione damnata.... Verum nihil exigit, ut propositionis damnatae verba ita intelligantur: *non potest sine laesione iustitiae satisfacere,* cum commode ita intelligi possint: *non potest licite satisfacere obligationi suae. b)* Sacerdos accipiens stipendium huius dominium quidem acquirit, sed iuxta voluntatem dantis; voluntas autem dantis est, ut Missa celebretur pro tali stipendio; qui ergo.... VERUM NULLATENUS CONSTAT HANC ESSE VOLUNTATEM EIUS QUI STIPENDIUM DAT, ID QUOD EX HISCE LIQUET: qui Missae stipendium accepit, obligationi celebrandi per alium satisfacere potest, etsi nullum stipendium det, modo stipendium conferens expresse non postulaverit, ut ipse accipiens Missam celebret: etenim si alius loco accipientis stipendium gratis ad intentionem dantis celebret, nemo dubitat eum obligationi satisfecisse, qui stipendium accepit ».

Haec dicta de ratione intrinseca conclusionis, laborant eodem vitio quod demonstratum est latescere sub figura rhetorica interrogationis, a R. P. Palmieri, concisionis gratia, adhibita.

Praeter P. Noldin hodie in Germania mihi occurrit D^r^ Fr. Ad. GOEPFERT, Professor Wirceburgensis, qui in Theologia morali germanico idiomate cunscripta, ed. 6 anni 1909, vol. III, n. 90, pag. 135, nulla auctoritate allata, simpliciter recenset eam opinionem tamquam *probabilem.*

Quam aestimandi rationem praesumo esse in eiusdem regionis scholis satis vulgatam.

154. In Hispania etiam P. IOANNES B. FERRERES S. I. in suo vulgatissimo Compendio Theologiae moralis (31) contentus est referre doctrinam Guryanam de qua supra locutus sum, et subinde modernos auctores quibus arrisit Suarezii sententia. Ipse vero neutri subscribit quia « sententia (obligationem iustitiae negans) est opinio de cuius *improbabilitate non constat certo, quamvis ipsi opposita multo magis placeat* ».

155. Eadem est mens P. AUGUSTINI LEHMKUHL S. I. qui in edit. 11 operis moralis, quaestionem omnino praetermisit. Ratio huius omissionis est quia non audet affirmare iustitiam non laedi, neque rationes prolatae, ipsi satis ostendere videntur eam probabilitatem; *externam tamen probabilitatem non potuit negare.* Ratio gravis quae ipsi suadeat contrarium, i. e. quae suadeat laedi iustitiam commutativam, haec ipsi videtur, quod sacerdos retinens partem stipendii nullum titulum iuris ostendere potest, eo quod stipendium integrum inseparabiliter coniunctum sit cum Missae celebratione.

156. Porro hanc ipsissimam rationem P. IANUARIUS BUCCERONI S. I. qui iam a triginta annis cathedram occupat Antonii Ballerini in Collegio Romano Universitatis Gregorianae, tamquam decisivam habuisse videtur. In omnibus enim editionibus suarum *Institutionum*, a prima ad ho-

(31) II, n. 372; cf. et n. 380.

diernam quae quinta est, sic quaestionem proponit ac solvit (32):

« Seclusa aliunde *personali obligatione* celebrandi et applicandi Missam, illud communiter loquendo non interest, utrum per se an per alium quis celebret, dummodo Missa loco et tempore debitis celebretur, et alteri collato INTEGRO ET NON MINORI, stipendio accepto, *ex solo titulo celebrationis*, pr. 9 d. ab Alex. VII; quod locum habet tantum in *Missis manualibus*, quae non dantur intuitu personae, sed intuitu Missae celebrandae. Idque ut omne turpe lucrum removeatur Innoc. XII, C. *Nuper*, Ben. XIV, Enc. *Quanta cura*, L. 321. Quare sacrilegii ET INIUSTITIAE reus est quisquis detrahit partem stipendii, et ad restitutionem erga celebrantem tenetur, licet illa pars modica sit, et in usum pium impendatur, nisi alter omnino sponte, adeoque non rogatus, excessum remiserit. Ben. XIV Enc. *Quanta cura*, prop. 9 d. ab Alex. VII L. 321, 322 ».

Subinde n. 625:

« Integrum stipendium alteri celebranti tradendum non est, si alio titulo, et intuitu personae, quis pinguius receperit stipendium, e. gr. etc. ».

Et recensitis variis huiusmodi titulis, Auctor subiungit:

« dummodo haec dantis intentio certo moraliter constet. S. C. C. 25 iul. 1874; A. S. S. vol. 8, pag. 94 ».

157. Idem Auctor tamen in edit. 6 (33) *Casuum*, II, Cas. 118, n. 13, ad 3^um^, minus categorice loquitur. Ad quaesitum enim *Utrum qui indebite partem retineat stipendii, reus sit furti, et ad restitutionem teneatur, ac cuinam debeat restituere?* sic respondet:

« *Sacrilegii* tenetur quisquis ex accepto Missarum stipendio detrahit aliquid, etsi modicum etsi in usum pium, nisi alter sponte prorsus ac liberaliter atque ideo non rogatus excessum remiserit. SED QUAESTIO DIFFICILIS est, utrum *furti* quoque teneatur is qui stipendii partem retinet. ET AFFIRMANDUM VIDETUR; nam, ex intentione dantis stipendium sive tenue sive pingue sit, *celebranti* totum datur, cum ex hypothesi huiusmodi stipendium detur *solius celebrationis titulo*, et non etiam *contemplatione personae*, quamvis vero non detur quasi stipendium Missae quod simoniacum foret, sed quasi eleemosyna personae, *sacerdotis* nempe *celebrantis*. Unde consequitur huic esse detractam stipendii partem restituendam. Restituenda enim est illi ad quem pertinet; pertinet autem

(32) Ed. 5., II, n. 624.

(33) Nuperrima est editio, pluribus aucta casibus. Romae, 1913.

ad illum, cui datur, *et celebranti datur*. Inst. mor. II, 124; S. Alph. L. 6, n. 322 ».

Ita P. Bucceroni: Ratio quidem allata est illa ipsa *ex causa* contractus desumpta, quam superius evolvi; nec aliter explicare valeo illam aliqualem moderantiam heic adhibitam in affirmationis forma, quam ex reverentia erga adversae sententiae patronos modernos et praesertim antiquiores. Videtur idcirco mens cl. Auctoris eadem esse ac illa Patris Lehmkuhl.

158. Neque E.mus Casimirus Gennari a sententia nostra ullatenus recessisse videtur: ipse enim iam ab anno 1876-1878 in *Monitore ecclesiastico*, vol. I, pag. 463, relato responso S. C. C. 20 Augusti 1860, a me superius recitato, in nota 1ª subnectit:

« I compilatori del Period. *Acta S. Sedis* vol. III, pag. 558, dopo aver esposta la dottrina di S. Alfonso e di Bened. XIV, confermata dalla S. C. del Conc. ne deducono quanto segue »

Et ipse simpliciter transcribit verba Petri Avanzini de qua superius habui sermonem; huius sententiae idcirco calculum addit propriae auctoritatis; nec deinceps ab ea recessit; quamvis non expressius eidem adstipulari unquam reperiatur sive in tota serie suarum ephemeridum sive in altero opere cui titulus: *Consultazioni morali canoniche-liturgiche*, edit. II, vol. II, Cons. 1, n. 13, cum subiecta nota; ibi enim refert tantum, iuxta S. Alphonsum, circumstantias in quibus licebit partem stipendii pinguioris retinere:

« quando.... si ricusi questa parte; e ancora quando il di più dello stipendio siasi ricevuto non per la Messa stessa, ma per amicizia, per gratitudine o per altro titolo affatto estrinseco ».

Quae si assumantur, uti profecto logice et legitime sumi debent, in *sensu composito*, cum doctrina Avanzini cui antea ipse subscripserat, referunt integram doctrinam a me evolutam.

159. Necesse non est ut referam in terminis doctrinam quam hodie profitetur schola Ligoriana: perfecte enim consonat doctrinae ipsius S. D. ac legi a quocumque facillime

potest in vulgatissimis operibus Patris Ios. Aertnys, vol. II, n. 123, Quaer. 9; atque in edit. 13 P. Clem. Marc. II, n. 1615-1616. Ambo, nulla facta mentione probabilitatis sententiae oppositae, doctrinae SIMPLICITER COMMUNI referunt obligationem restitutionis.

Schola Franciscana proprios auctores recentiores non habet qui dissentiant a doctrina communi. Sed in toto Ordine, ut mihi nuperrime assertum est in ipsa Curia Generali, manuale in scholis admissum, est vel opus P. Noldin vel Opus Guryanum cum ipsius adnotatoribus.

In schola S. Sulpitii quae pro re morali ab Ad. Tanquerey praesertim repraesentatur, nullus emergit dissensus in praesenti quaestione a sententia communi. Ipse Tanquerey eam silentio praeteriisse videtur.

Epilogus historiae totius controversiae.

Ut uno conspectu tandem exhibeam totam doctrinae evolutionem apud theologos, relate ad quaestionem quae his foliis undequaque discussa est, haec videntur posse legitime deduci ex critica singulorum Auctorum relatione:

Qui primus opinionem quam discussi, invexit in sua universalitate fuit sine dubio, Franciscus Suarez ab initio saeculi XVII. Hic in ea asserenda paucos admodum nactus est sibi suppares asseclas (34), plerosque ipsos non sine multiplici distinctione et restrictione; et quamvis hi fuerint e gravioribus illius aetatis, alii tamen etiam gravissimi ex omni schola (35), statim ab initio atque nunquam interrupta serie surrexerunt adversus eam, usque distinctius et strictius insistendo in nullitate tituli sive causae retinendi stipendii partem.

---

(34) Filliucci, Castropalao; porro diminute et fere totaliter corrigendo, Tanner et Bonacina.

(35) Vasquez tantum non explicite, cum G. Hurtado; similiter Reginaldus, Rodriguez; — Ledesma cum tota schola thomistica; Th. Sanchez; Laymann; Card. De Lugo; Diana; Aversa; Fr. De Lugo; Pasqualigo; Tamburini; Iac. Pignatelli; Gobat; Reiffenstuel, Illsung (implicite).

Sententia igitur Suarezio contraria non solum communior sed vere COMMUNIS, paucis solum exceptis, eo primo saeculo dicenda est.

In fine porro eiusdem saeculi, Suareziana opinio neque in praxi Curiae Romanae admissa fuit, quamvis S. Sedis decretis et responsis universali sanctione non fuerit formaliter reprobata.

Saeculo XVIII vix occurrit qui eam tueatur (36), et multo minus ab aetate Alphonsiana, donec labente saeculo XIX, a paucissimis fuerit revocata in memoriam (37), quin tamen a maiori Auctorum parte recipi videretur.

Quod rationem intestinam dissensum attinet, haec plus quam uno saeculo ante Suarez, a Mayore fuerat elata et constanter a plerisque resumpta, variisque modis illustrata atque ab ambagibus quibus intricabatur, evoluta; a Pasqualigo tandem, Schmalzgrueber et a Sporer pleniori luce demonstrata. Aetate nostra, ipse paucorum illorum dissensus viam aperuit ad ultimam probationem utriusque praemissae unde vera concluditur doctrina; principium scilicet de intrinseca contractus *causa*, atque huius principii concreta applicatio, facta intentioni offerentis stipendium pro Missa manuali, prout eam intentionem iugiter interpetrati sunt cum decretis Pontificiis, theologi et canonistae universi.

Scripsi Romae, die 10 Maii, 1912, sacro annuae memoriae Beati Antonini Confessoris, Florentinorum Episcopi.

---

(36) Medulla Busembaum a fine saeculi XVII; Viva. — Dum contrariam tenuerunt Lacroix; Matteucci; Schmalzgrueber; Sporer; Holzmann; Elbel; Roncaglia; Mazzotta.

(37) Scavini ipse; Palmieri; Génicot: Noldin; Göpfert.

INDEX ALPHABETICUS

RERUM NOTABILIUM ET AUCTORUM

N. B. *Numerus refertur marginalis.*

Alexander VII a. 1665 damnat prop. 9am relate ad diminut. stip. M. m. 6, (1); in ea damnanda non condidit obligation. iustitiae sed supposuit, 38. — Gravissimum praeiudicium interpretationis huius damnationis, 115; cui favet etiam GOBAT Georg. 115; REIFFENSTUEL. Ibid. — Nostra et S. D. Alphonsi eius interpretatio, 116, 135.

Alphonsus (S. D. de Liguori). Eius sententia in nostra quaestione, 17, 135. — Non propugnavit sententiam explicantem stip. ministri bon. supern. per compensationem laboris *intrinseci*, 57.

Annibale (Card. De) prius favens opinioni neganti obl. restit. postea ab ea recedens, 6 (3), 144 sq. Deficiente causa intrinseca actus nihil fit, 23 (3).

Antonius Cordubensis negat titulum adesse iustum detrahendi partem stipendii Missae man. a tertio celebratae, 66. Asserit voluntatem renuntiandi iuri suo non posse *praesumi* in celebrante. Ibid. Testatur hanc esse consuetudinem generalem. Ibid.

Aragon Petrus negat titulum esse iustum ut detrahatur a primo acceptante pars stip. man. altero celebrante; nec valet praesumptio condonationis, 67.

Augustinus (S. D.) pulchre excludit venalitatem a mercede praedicatoris evangelii, 45.

Avanzini Petrus explicite profitetur nostram sententiam, 142.

Aversa Raph. nobis favet sicut Diana, 105.

Ballerini Antonius, dum vixit, nec in cathedra, nec in scriptis aliud docuit quam sententiam nostram. 140, 146.

Barbosa Augustinus NAVARRO et nobis adstipulatur, 90.

Benedictus XIV. Encycl. *Quanta cura*, praxim diminuendi stip. M. m. furti nota inurit 6 (1), 15, 16; non tamen condendo, sed explicando obligat. 38; — poenis plectit, 6 (1). — Quomodo quaeratur aequalitas iustit. commutat. in stip. pro M. m. 33.

Berardi Sebast. De Can. « Si quis obiecerit » suppositio, 51.

Bonacina Martinus accedit sententiae Suarezii, eam tamen magis hypothetice quam absolute approbans, 79.

Bordoni Fr. negat mortaliter peccari diminut. stip. et restituendum detractum, 6 (1). — Confutatur a PIGNATELLI et a MATTEUCCI, 111-113.

Bucceroni Ianuar. quomodo explicet Can. « Si quis obiecerit »

55. — Insufficiens explicatio simoniae excludendae ex stip. ministri supernat. bon. 56 sq. — In praesenti controversia sententiae nostrae favet, 156, 157.

Busembaum Herm. Suarezii sententiae favet, sed ignoravit Declarat. S. C. C. 5 Iul. 1664. — Inaccurata eius relatio status quaestionis, 117.

Canon « Si quis obiecerit » 7, C. I, Q. 3, 51 sq.

Cappellanus potest retinere partem stip. Miss. cappellaniae, 68, 74 (8). — Id inepte adducitur pro sententia nostrae contraria, 69; 74, 79.

Castropalao (Ferdin. De) Suarezii sententiam multis distinctionibus restringit, ultima tamen praetermissa, 89, 23 (4).

Causa contractus; extrinseca; intrinseca, 23 (3), si extrinseca *principalis* defecerit actum perimit; *secundaria* non; ibid.; si intrinseca defuit, nihil fit; ibid. — Idem penes Pasqualigo, 108 sq. in contractu innominato est utilitas utriusque ad modum unius causae, 23 (4). — In contractu stipendii pro M. m. causa est stipendium solo intuitu Missae obtinendae, 23.

Concina Daniel invehit adv. Dom. Viva probabilismum, 134.

Condonatio partis detractae a stip. difficillime censeri potest plene libera in celebrante Missam. Card. De Lugo, 100. — Idem docet Diana, 102.

Congr. (S. Concilii) 5 Iul. 1664 interpretatur Urbani prohibit. de diminuendo M. m. stipend. 6 (1); non condit obligat. iustitiae sed explicat, 38, 111-113. — Id constanti eius praxi confirmatur, 114 (17). — 9 Sept. 1874; D. *Vigilanti* 25 Maii 1893; D. *Ut debita* 11 Maii 1894, prohibitionem urget, 6 (1).

Contractus stipendii pro Missa triplici modo explicatur, 20, 21, 22. — Innominatus *do ut facias* ibid. 23 (3), (4). — Quomodo eximatur a simonia, 21; 47 sq. — Nequit comparari cum contractu aleatorio, 74 (7). Resolvitur deficiente titulo, sive causa, 23; 23 (4); idem penes Pasqualigo, 108; Sporer, 129.

Controversia praesenti in statu definitur, 7. — valde practica, 18.

Costantini Vict. nostrae sententiae suffragatur, 143.

Diana Antonin. Suarezii sententiam approbat non absolute, sed comprobata de facto hypothesi donationis intuitu personae, 101-104.

Dicastillo Ioan. Suarezii sententiam intellexit de donatione omnino liberali; secus nobiscum sentit, 84.

Donatio quo sensu dicatur de stipend. M. m. 23. — *absoluta; sub modo; sub conditione*, 20. Quando donatio stip. pro M. m. sit *absoluta* sub modo; principali vel accessorio, 24. — quando sit mere *liberalis*, 26; quando liberalis et onerosa, 23; quando onerosa, 23, 26. — Nequit *praesumi*, sed debet probari, 13, 23; 27; 33; 34. Idem pen. Ant. Corduben. 66; et Petr. Aragon. 67; et Henriquez Henr. 68.

Elbel Beniamin. sequitur Laymann nobisque adstipulatur, 132.

Escobar (Ant. De). Utramque af-

fert sententiam, quin valuerit controvesiam decidere, 106.

Fagnani Prosp. Secret. S. C. C. in condendo Decreto *de celebrat. Miss.* 6 (1).
Ferreres I. B. statum quaestionis refert, quin audeat Suarezii opinioni probabilitatem saltem extrinsecam denegare, 154.
Filliucci V. Suarezium in praesenti controv. sequitur, 76.
Frassinetti Ios. nostram sententiam aperte profitetur. 141.
Fructus beneficii superflui in pauperes erogandi. Discrimen quaestionis cum nostra, 12 sq.
Fructus sacrificii. Ratio pro sententia nostra, desumpta ex eo fructu, confutatur a Vasquez, 81. — Iterum urgetur a Laymann, 96.

Génicot Eduardus, dum vixit Suarezio adstipulatus est in praesenti quaestione, Dum Palmieri secutus, 150 sq.
Génnari (Card. Casim.) a nostra sententia in scriptis suis nunquam deflexit, 158.
Giraldi Ubald. nobis suffragatur in explicando resp. S. C. C. 5 Iul. 1664, 111.
Gobat Georg. quomodo intellexerit damnationem Prop. IX, Alexandr. VII, 115.
Goepfert Ad. recenset Suarezii opinionem tamquam *probabilem*, 153.
Gousset (Card. Th.) non discedit a S. Alphonso in quaest. nostra, 137.
Gury Petr. a nostra sententia in re praesenti nunquam deflexit, 139.

Henriquez Henr. negat titulum adesse iustum detrahendi partem stip. manual. dati, 68; donationem huius partis praesumi posse. Ibid.
Holzmann Apoll. nobis cum Sporer suffragatur, 132.
Hurtado Gaspar Suarezii sententiam intellexit de donatione omnino liberali, 84; in altera hypothesi nobiscum est. Ibid.

Illsung Iac. gratuito supponit fieri in casu donationem *omnino liberalem*, cum onere, 119.
Innocentius XII, prohibuit stipendium Missae Man. transferri tertio diminutum, 6 (1).
Iustitia distributiva superiorem urgens, erga ministrum bonor. supern. praeter *commutativam* ex quasi-contractu, 46.

Labor intrinsecus operae ministri supernaturalium nequit pretio aut mercede aestimari, 21; 42, 44, 46. — dupliciter spectatur: in quantum utilitatem supernaturalem procurat; vel in quantum *subiectum* laborans occupat et servitute ligat. 44, 45.
Lacroix Claud. correxit Busembaum in praesenti quaestione et nobis adstipulatur, 118, 123. — Resp. S. C. C. 5 Iul. 1664 ipsum effugerunt, 124.
Laymann Paul. Quomodo eximat a simonia stipendium ministerii supernaturalis, 42 sq. — DD. antiquos dissentientes explicare conatur, 44; Operam ministri sacri spectat sub duplici respectu: vel utilitatis supernaturalis, vel occupationis ipsius ministr, 45; — eius explicatio inadaequata, 46. — Suarezii sententiam in praesenti controversia reiicit, 96; ratio tamen quam secundariam affert, minus valet, 97.

Ledesma (Petrus de) penitus confutat Suarezii sententiam, 93. — Usualem interpretationem urget adversus Suarezii sententiam. Ibid.

Lehmkuhl Aug. quaestionem agitare in opere suo praetermisit, 155.

Lessius Leon. Causa contractus *extrinseca, principalis* si defecerit, actum perimit; *secundaria* non, 23 (3).

Lugo (Card. de) exemplum dat usus opinionis probabilis, a S. Sede prius adhibiti postea reprobati, in materia applic. Miss. 10 (4). — De obligatione praestandi minister. spirit. non ipsa vendenda, 50 (14). — Mens eius nobis favet in praesenti controversia, 98-100. — Eius opera, quando edi coeperint, 100 (12).

Lugo (Franc. De) ex aliorum DD. coaevorum citatione nobis favere refertur, 105.

Mandatum gratuitum vel remuneratorium, 24. — In stipendio pro M. m. latet mandatum gratuitum, 24, 27-29.

Manualitas Missae vel stipendii, definitur, 2; definitio eius vindicatur, 3, 4. In praxi fidelium fundatur definitio, 30-34; quod confirmat Ledesma Petr. 93.

Marchini Philib. vim obligandi detrectat decreto Urban. de non diminuendo M. m. stip. 6 (1), 115.

Matteucci Aug. nobis suffragatur et nobiscum interpretatur resp. S. C. C. 5 Iul. 1664, 111, 114, 125.

Mayor Ioannes, primus propugnavit sententiam nostram, 61.

Mazzotta Nicol. nobis cum Lacroix et *communi*, adstipulatur, 134.

Missa manualis definitur, 2 sq. 30-34. — gratuito suscepta a tertio, 29. — *Fundata*, 2; *ad instar manualis*, 3.

Navarrus Martinus reprobat subtractionem partis accepti stip. absque titulo donationis personali, ex officio vel consuetudine legitima, 63 sq.

Neyraguet Deodatus refert in re praesenti S. Alphonsi sententiam, 137.

Noldin Hier. diffitetur certum esse quod Missa *manualis* excludat omnem *liberalem* et *absolutam* donationem, 153.

Obligatio praestandi minist. supern. non ipsa venditur in sententia a me explicata, 49. — solvuntur argum. Suarezii et Lugonis in oppositum, 49, 50.

Officium (S.). Resp. 13 Ian. 1892 explicat lucrosi mercimonii Missar. poenam, 6 (1).

Opera intrinseca perficientis *opus* supernaturale, est in sua obiectiva materialitate invendibilis sine simonia iuris divini, 46. — Est sententia communis, 42; a qua non discedit S. Thomas, 57; nec S. Alphonsus 58.

Pallottini Salv. explicat speciem facti resp. S. C. C. 5 Iul. 1664, 111.

Palmieri Domin. manualitatem Missae definit, 2. — *Causam* contractus definit, 23 (3). — Eius argumenta pro sententiae negantis probabilitate refelluntur, 25-29. — Demonstratione critica ostenditur eius sententiam a Ballerini non fuisse propugnatam, 140, 146, 147-149.

Parochus, per se titulum habet

personalem sibi retinendi partem stidendii M. manualis, iuxta Sotum, 62. — Decisiones S. C. C. contrariae, 114.

Pasqualigo Zacchar. gravissime suffragatur nostrae sententiae, eiusque probationi, 108 sq.

Pignatelli Iacob. gravissime nobis suffragatur, 112-113. — Explicat resp. S. C. C. 5 Iul. 1664, cui condendo ipse adlaboraverat, 111 sqq.

Pius IX. Constit. *Apost. Sedis*, sect. II, n. XII, 6 (1).

Pius X prohibitiones de diminuendo stipend. M. m. urget, 6 (1).

Possevinus Antonius, 77 (9).

Possevinus I. B. Bern. docet sentent. M. Navarri in praes. controv. 77.

Praesumptio non valet de donatione partis stip. manualis, favore primi accipientis, tertio celebrante, 13, 23, 27, 33, 34. — Idem penes Anton. Corduebens. 66. — Idem penes Petr. Aragon. 67. — Idem penes Henriquez, Henr. 68. — Idem p. Schmalzgrueber, 125.

Prohibitiones positivae in praesenti materia non condiderunt obligationem iustitiae commutat. sed explicant naturalem, 37 sq. — Pauli Laymann mens in ea quaestione, 97; et Card.is De Lugo, 98. — Idem aperte profitetur Pasqualigo, 109. — Idem testatur Pignatelli de resp. S. C. C. 5 Iul. 1664, cui condendo adlaboraverat, 111-113. — Incertitudo Dominici Viva in ea re explicatur, 120-121.

Proportio sicut arithmetica in pretio, ita geometrica in mercede operae, iustitiam commutativam exigit, 48.

Receveur Fr. Xav. S. Alphonsi doctrinam divulgat, 137.

Reginaldus Val. cardinem quaestionis non attingit, 91.

Reiffenstuel Anacl. quomodo intellexerit damnationem prop. IX Alex. VII, 115.

Restitutio detracti excessus stip. non ex solo iure positivo, sed ex inito contractu urgetur, 8, 35 sq.

Rodriguez Emm. formaliter implicite nobis adstipulatur, 92.

Roncaglia Constant. nobis decisive adstipulatur, 133.

Sa Emm. sibi incohaerens, Suarezii sententiam docet, 65.

Salsmans P. correxit opus Eduardi Génicot, in sententiam nostram, 152.

Sanchez Thom. nostram sententiam veram esse supponit, 95.

Scavini Petrus. In quaestione praesenti, S. Alphonsi sententiam latius intellexit in sensum deflectens a Viva patrocinatum, 138.

Schmalzgrueber Fr. rationem fundamentalem effert nostrae sententiae, 125. — Qua ratione successiva ediderit suum opus, 126 (21).

Schola Franciscana; Ligoriana; Sulpitiana, 159.

S. Sedes praxi sua non praeiudicavit controversiam, 9, 11.

Servitus subiectiva a ministro bon. supernat. libere assumpta, est independenter a valore operae et operis supern. praestiti, pretio i. e. mercede temporal. aestimabilis atque *ex contractu* remuneranda, 47 sq.

Simonia. Quomodo excludatur a stipendio pro M. m. 21, 41, 47. — non evitatur per comparationem

ad laborem operae supernaturali intrinsecum, 42 sq.

Soto (Dominicus de) agnoscit titulum *personalem* retinendi part. stip. manualis in *parocho*, 62.

Sporer Patritius gravissime nobis suffragatur, 126-131.

Stipendium ex iustitia commutativa, vi contractus debetur, non autem ex distributiva solum, 20 (1); 21, 23. — Quomodo in eo servetur proportio aequalitatis, 33. — Quomodo determinetur eius *quantitas*, 34. — Quomodo eximatur a simonia iuris divini, 41 sqq.

Suarez Fr. Stipendium confertur pro Missa ex iustit. commutativa, 20 (1); — quomodo in eo quaeratur aequalitas propria iustitiae commutativ. 33. — Docet laborem intrinsecum ministerii sacri non posse pretio aestimari, 43. — De *obligatione* praestandi minister. spirit. non ipsa vendenda, 49, 50. — Eius sententia in praesenti controversia exponitur et refellitur, 69 sqq.

Tamburini Thom. nobis adstipulatur, 110.

Tanner Adam. docet eamd. ac Suarez conclusionem *in hypothesi* dominii stipendii *absolute* traditi, 78.

Thomas S. D. Aquin. Lex humana potest condere obligationem iustitiae commutativae, 35, 36. Non explicavit iustitiam stipendii ministri spirit. per compensationem laboris *intrinseci*, 57.

Titulus donationis iniuste usurpatus a retinente partem stip. M. m. tertio traditae, est sententia Ioannis Mayor, 61. — Similiter Antonii Cordubensis, 66. — Similiter Petr. Aragon. 67. — Similiter Henriquez Henr. 68. — Gravissime Ledesma Petr. 93. — Invicte Pasqualigo Zacchar. 108. — Etiam Bucceroni Ian. 156.

Urbanus VIII. Prohibuit stipendium Missae man. transferri tertio diminutum, 6 (1). — Non condidit obligationem iustitiae, sed supposuit, 38.

Vasquez Gabriel Suarezii sententiam corrigit ita ut formaliter implicite ab ea recedat, 82. — Ratio ex fructu sacrificii desumpta, ab ipso confutatur 81 *Ceterum*.

Vecchio (I. B. Del). Scavini sensum emendat, 138.

Velasco (Acac. d.) vim oblig. detractat decreto Urb. de non dimin. stip. M. m. 6 (1).

Vermeersch Arth. De causa intrinseca contractus, 23 (3). — Nostrae sententiae adhaeret, 152.

Viva Domin. probabilitatem minorem oblig. restit. excessum stip. M. m. agnoscens, 6 (2), 120, 122. — Se refert ad quaestionis statum nimis anteriorem, 120. — In prop. IX Alex. VII damnatione non vidit nisi praesumptionem periculi, sicut in Decr. Urbani VIII, 121. — Favet sententiae nostrae, 121.

Voit Edm. nobis favet, 136.

Wernz (R. P. Fr. X.) beneficiario asserit dominium fructuum beneficii absolutum, 13.

22497